
















BEATUS HOMO QUEM TU ERUDIERIS DOMINE
A·L·S·



141 (2749)
Domenick No. 684
2905.
261
4352/A A xL
16/m
(10)





ANTONII MIZALDI MONLVCIANI De Arcanis Naturæ, Libelli quatuor.

Editio tertia, Libellis duobus pulcherrimis aucta & locupletata.




LVTETIAE:
Apud Iacobum Keruer, via Iacobæa, ſub inſigni Vnicornis.
1558
Ex Regis priuilegio.

Sententia Priuilegij.

REGIA cautum est sanctione, ne quispiam alius præter Iaconem Keruer, hosce quatuor libellos Arcanorum Naturæ, Antonij Mizaldi Monluciani, intra sexēniū, absque manifesto autoris consensu imprimat: aut alibi impressos, sub Regis ditione vendites ac distrahat. Qui secus fecerit, libris & pœna in sanctione æstimata multabitur. Concessum fuit priuilegium Lutetiæ Parisiorum, anno Christi 1550, quarto Nonas Ianuarij. Subsignabat.

Buyer.



ANT. MIZALDVS IOANNI OLIVARIO, Francisci Galliarum Cancellarij filio, virtutibus & literis insigni, S. P. D.



QVOD *Apelles ille pictor nobilis, de perfectis & elaboratis operib⁹ suis olim fecit,* IOANNES OLIVARI, *ego de imperfectis & inelaboratis opusculis meis (si parua licet componere magnis) facere hactenus tentaui. Vt de exposita illorũ publicatione, & publica hinc inde expositione intelli-*

gerem quid de iis ſentirẽt, nõ ſutores, inquam, vltra crepidam iudicantes, ſed cenſores æqui, & artifices eruditi. Ex quorũ ſentẽtia & ſtare, & cadere ſemper fui paratus. Quid tandẽ? cùm ego nihil minùs expectarem quàm vt doctis probarentur (neque enim is vnquam fui qui catulos meos quantũuis deformes, pro formoſis, Simiæ more, oſtentare voluerim) ecce à Iacobo Keruer bibliopœla & typographo ad vnguem facto, ſemel, iterum & tertiò, imò quartò & ſepius audio præſentis opuſculi exemplaria externis, nedũ noſtratibus vſqueadeo placuiſſe, vt ad tertiam illorum editionem tranſire, & machinas impreſſorias in eam rẽ adornare feſtinet. Ex quo me obnixe rogauit, vt ſi quid haberem quod vel caſtigare, vel adiicere vel-

lem, actutum aggrederer. Quod vbi intellexi, manum tabulæ illico admouere nihil sum cunctatus. Cœpi itaque chartulas meas diligenter excutere in quibus legendo semper aliquid adnotare sum solitus: vt ex iis decerperem & exscriberem quod pro auctario præsenti opusculo accederet. Cuius nuncupationem tibi multis nominibus iure deberi & scio, & ingenuè fateor. Atque vtinam mihi etiam liceret ANTONIVM magnæ spei fratrem tuum, haud ita pridem terris ereptum hîc tecum, vt antea, nominare: ô Fata! sed hîc calamum tempero, ne mihi suspiria, tibi verò lachrimas, & illustrißimis parentibus tuis cordolium moueam. Accipies itaque charißime OLIVARI tuum hoc opusculum Arcanorum Naturæ, ea fronte


qua reliqua duo præcedentia. Nec in exquirendis causis si minùs omniũ, saltem quamplurimorum in eo descriptorum, te anxiè & molestè torquebis: quas cœcas & occultas esse, nemini dubium arbitror. Vnde in earum aucupio non admodum laborandum, atque adnitẽdum censui. Nec temere, mea sententia. Nã, vt est apud Aratũ,

——πάντα γὰρ οὔπω
Ἐκ Διὸς ἄνθρωποι γινώσκομεν, ἀλλ' ἔτι πολλὰ
Κέκρυπται, τῶν αἴκε θέλῃ, καὶ ἐς αὔτικα δώσει
Ζεύς, *&c. quod est.*

——*omnia nondum*
Ex Ioue mortales cognoscimus: occulit ille
Plurima, dum libitum fuerit quæ tradet apertè.

Sunt ſanè innumera in rerum na=tura, quæ tametſi omnibus conſpi-cua ſint, ratio tamen facilè iniri non poteſt. Quare, qui ſcrupulo=ſiùs in peruestigandis ſingulorum rationibus verſantur, ex omnibus, na turæ miracula ſummouere mihi vi=dentur. Sed hæc ſatis. Renatum itaque opuſculum hoc, vt id denuo repetam, candidè accipies. Ex quo dum abdita rerum mundi miracula & arcana au-dies, illáque ipſa poſthac in vaſtiſsimo naturæ theatro admirabundus obſer=uabis, memor eſto, quæſo, magni illo=rum opificis, qui ſolus mirabilia quæ=cunque vult facit, in cœlo, terra, & profundis abyſsi. Cuius bonitas, ado=leſcentiam tuam, tuáque ſtudia fœli=citer promouere, ornatiſsimúmque parentem tuum, Galliarum Cancella=

rium prudentißimum, cum spectatißimo Antistite Lumbariensi patruo itidem tuo, literis aaliteratis omnibus, diutißimè incolumem seruare dignetur. Vale, méque, vt cœpisti, amare perge: id mutuò facturus. Lutetiæ, Calend. Octobr. 1558.



LECTORI ARCANORVM Naturæ ſtudioſo. S.




VVM hic agellus noſter Arcanorum naturæ, magno tuo fœnore, Lector optime, mihi tertiandus eſſet (vt Columellæ verbo vtar) viſum fuit ſedulos ac prudenteis colonos imitari: qui agrum colendo & repurgãdo illi maximopere conferre ſolent. Hunc itaque agellũ meũ, quid inquam meũ? imò verò tuum, dũ noua ſemente tertiò onerare ſatagerem, qua potui diligẽtia colere, & inutilibus herbulis repurgare ſum aggreſſus: vt è iactis

ſeminibus variis, inde natæ ſegetes tibi gratiores eſſent ac fertiliores. Verũ-enimuero, vnde, inquies, tanta ſeminum varietas in tam paruo & anguſto agello longè latèque diſperſa? partim ex noſtris, partim ex aliorum horreis illam conquiſitam, ac tibi ſelectã fuiſſe reſpondeo. Et ne ampliùs vrgeas, dico & ingenuè fateor quòd hic variè diſſeminatũ quidquid eſt, prodiit cùm à noſtris obſeruationibus, tum è probatißimorũ autorum libris (quorum nomina in fidem vbiq; ferè ſcripſimus) tum etiam de relatione & experientia amicorum noſtrorum qui varias regiones luſtrauerunt, necnon aliorum, qui nature arcana quotidie rimantur, & ſedulò explorãt. Vt interim non omittam varias doctorum virorum literas, qui ſimul atque au-

diuerunt, vel legerunt me hunc Arcanorum naturæ agellum vtcunque excolendum mihi ſumpſiſſe, méque in eo & libẽter verſari, & ſumma cum voluptate exercere, tota (quod dicunt) Secretorum plauſtra hinc inde ad me miſerunt, mittúntq; quotidie. Ex *quo illis gratias quas poſſum ago, & vt idem facias,* Lector *optime, peto & opto: vt* Commentarios *illos noſtros de occultis naturæ miſteriis & abditis rerũ proprietatibus, octo libris, imò verò iam nouem concinnatos, vnà cum Secretis noſtris rerum agri (tibi propediem in lucem mittendis) commodum augere & illuſtrare poßim.* Hoc, *ſi quo peto animo, ſimili mihi voluntate cõceſſeris, ſanè nec ingratum, nec immemorem me dices.* Interim *bene ac fæliciter valebis, & quàm hic*

tibi fecimus ſementem, vbi permatu-ruerit, & opportunum erit, demetes tuúmque in vſum condes & repones: hinc fructum cum voluptate inenerrabilem accepturus. Iterum valeto, & Deum opt. max. qui facientes adiuuare ſolet, mecum ora, vt conatus noſtros ſua pietate fouere ac promouere dignetur.





ANT. MIZALDI MONLVCIANI, DE *Naturæ Arcanis, Libellus primus.*

NEMO eſt qui dubitet naturam rerum ſuarum abdita miracula & arcana, in Sympathiis & Antipathiis, hoc eſt, naturalibus concordiis & diſcordiis cœco fœdere, vel odio maximè elucentia, indubitatis notis omnes ex æquo ſpectare, & cognoſcere voluiſſe. Quamobrem ea etiam manibus agricolarum ingeſsit. Nam ipſa die Solſtitij (vt hinc exordiar) folia quædã Sym-

pathiam cum Sole occulta via a-
gnoſcentia, verti iuſsit: & eſſe cō-
fecti ſideris ſignum, quemadmo-
dum elegāter ſcripſit Plinius. Nec
ſylueſtrium tantùm arborum, re-
motarúmque (ne in ſaltus deuios,
montéſque eundum eſſet quæren
tibus ſigna & miracula) ſed & pro
ximarum, vrbanarúmque, & quæ
topiario vſu coluntur, proprium
id eſſe voluit: quamquam in illis
etiam viſantur. Vertit folia Oleæ
ante pedes ſatæ: vertit Tiliæ ad
mille vſus petendæ: vertit & Po-
puli albæ, etiam vitibus nuptæ.
Adhuc parum eſt, inquit, Vlmum
vite dotatam habes, & huius vete-
rinorum pabulo verſa folia ſtrin-
gis, ſtringēs autem deputas. Aſpi-
ce, & tenebis ſidus: alia parte cœ-
lum reſpiciunt, quàm qua ſpecta-

uere pridie. Salice omnia illigas humillima arborum, ipſe toto capite altior: & huius folia ſympathia quadam cum Sole circumaguntur. Quid te ruſticum quæreris? non ſtat per me quo minùs cœlum intelligas, & ſcias cœleſtia. Dabo & auribus ſignum. Palumbiûm vtique exaudi gemitus, trāſiiſſe Solſtitium caueto putes, niſi incubantem videris Palumbē. Sed & alia dicentur Solſtitiorum teſtimonia, alia ſympathiarum cū Sole ſigna. Nam & herbæ quædā, aues, ac animalia id peculiariter indicant. Floret ipſo brumali die ſuſpenſa in tectis herba arentis Pulegij. Ariſtotelem audito, qui Lirium, Cepe, pulegium ſuſpenſa quoque Solſtitio florere pronuntiat. Miretur hoc qui non inuene-

rit ipſo brumali die pulegium in carnariis & tectis etiam aridum flo rere: adeo nihil occultum eſſe voluit natura. Virio auis prodit ipſo Solſtitij die. Quin & natura dedit agricolis herbas horarum indices: vt ne ſic quidem oculos ſuos à terra reuocent. Lupinum ab ortu ad occaſum Solem ſequitur, etiam nubilo die illum prodens. Miretur & hoc qui non obſeruauerit quotidiano experimento herbam vnam quæ vocatur Cichorium (qua rura ſcatent) abeuntem Solem intueri: ſemperque omnibus horis cũ eo verti, vel nubilo obumbrãte: florem exortu aperiri, & occaſu claudi: tanto ſideris amore flagrat, vt illud ſuo comitatu luſtrãs, ſæpe propriũ caulem intorqueat: noctúque eius deſiderio ſe contrahat.

trahit. Æquinoctia, si Horo credimus Apollini, Cynocephalus animal Simiis efferacius apertè hac ratione demõstrat, quòd interdiu duodecies, noctúque toties vrinã faciat: vnamquamque horam lotij perfusione declarans. Viola alba & maximè luthea suo aduentu & flore Ver nuntiat, vti Iris æstatem. Codiqnum (vel potiùs Codiaminum) bis anno Vere & Autumno florẽs, Æstatis ac Hyemis est impatiens. Seriores aliquantò Narcissus, Lilium, & Anemone. Sequitur Heliochrysos, Gladiolus, & Hyacinthus. Heliotropium autũnali floret æquinoctio. Sic procedens apicula Fabam florere indicat, Fabáque florescens eam euocat. Morus germinans frigoris iniuriam abiisse indicat: & Olearum,

Vitiúmque cõceptus Vergiliarum exortu perficitur. Oſtendunt & animalia ſiderũ exortus, ſympathia quadam, vel antipathia cum illis. Auem Parrã oriente Sirio, ipſo die non apparere donec occidat tradunt. Orygem appellat Aegyptus feram quã in exortu eius cõtrà ſtare & contueri tradit, & velut adorare cùm ſternuerit. Nec mirum, cùm Canis etiam ortũ ſentiant maria & terrę: multæ verò & feræ: feruent maria, fluctuãt in cellis vina, mouentur ſtagna: ſentiunt & ſideris effectum canes ipſi, quos eo toto ſpatio maximè in rabiem agi nõ eſt dubiũ. Sed particulatim de ſingulis quę vel ſympathia cõueniũt, vel antipathia diſſentiunt, nũc demum, via cœpta, nobis agendũ eſt, à ſuperiorum cum inferioribus cõ

iugatione gradum ſubſternendo.

Scarabeus notum animal, Solis & Lunę coitũ omnibus apertè demonſtrat: quandoquidem ex bubulo ſtercore pilulã ab ortu ad occaſum rotãdo verſans, in orbis imaginem effingit: quam viginti octo diebus, facto humi ſcrobiculo adobruens, tantiſper celat, dum Signiferum ambiens Luna ad intermenſtruum reuertens ſileat: apertóque tum orbiculo, coitus ſiderũ denuntians, nouã prolem ædit: nec aliam naſcendi nouit originem: nihil hac volucri beſtiola frequentius, & admirabilius occurrit.

Formica minimum animal, lunaris ſideris vires ſentit: nam interlunio quieſcit, plenilunio etiam totis noctibus operatur.

Cynocephal⁹ mas, quem aliqui

canicipem interpretãtur, vſque adeò ſilentis Lunæ vices dolet, vt dum orba lumine deliteſcit, nec videatur, nec manducet: ſed tanquã raptum ſidus lugẽs, demiſſo in terram vultu inſolentem fateatur triſtitiam. Fœmina verò abſentis refricans deſiderium, eodem interlunio mœret, illuni forte non contẽta: inde cõcita oculorum cœcitate non priùs liberatur, quàm menſtruus ſanguinis curſus erumpat, autor Horus Apollo.

Mirãdum eſt Aelurum marem, aut ſi mauis Felem, Solis vices ſentire (vt dicto Horo placet) mutarẽque pupillas oculorum ſideris curſu: ſiquidẽ diluculo in exortu protendũtur: eædem meridie contrahuntur in orbem: occaſu Solis obſcuriores hebeteſcunt.

Luſciniæ domeſticæ (mares præſertim) Brumam ineuntẽ etiam intra denſiſsimos parietes, cantu admodum vocali & inſolito, obſeruãtibus nunciare ſolẽt. Quod nos in vna atque altera non ſine ſumma admiratione experti ſumus.

Si quæ herbæ, aut arbores plantentur Luna in terreis ſignis verſante (vbi magnarũ eſt virium) inferiores partes & ſubterraneas vegetiores ac pollentiores habebunt his quæ ſupra terrã extabunt. Contrà in aëreis: nam ramos ampliores diffundent, ac fructuũ, foliorúmque vbertate luxuriabunt: niſi infortunata fuerit Luna cum Horoſcopo.

Aelurorum oculi iuxta lunaris luminis incrementa vel damna, maiores fiunt & ampliores, aut mino-

res & contractiores: ſic iumentorũ quorundam oculares morbi cum Luna increſcunt vel minuuntur.

Gallinaceus Gallus volucris nulli non cognita, manifeſtam, pueríſque ac ſenibus animaduerſam, & quotidie obſeruatam cum Sole habet ſympathiam. Nam illum ad omnes mundi angulos feſtinãtem, exortiuum, occiduum, & meridianum vtrunque, ſupra terram & infra, voce admodum vocali, & alarũ applauſu congratulantis modo, ſępenumero ſalutat ac reſalutat.

Cichoreum (vt plantæ aliquot de quibus paulò antè, & in ſequẽtibus) Solem, vel nubilo cœlo per omnes cœli & Horizontis regiones, de flore comitatur & ſemper reſpicit: ac ſi ſpiritu eius recrearetur, aut hymnum ſui ordinis duci

accineret:motúque occulto,ac diffusa per aërem pulsatione, eum nõ minus honoraret(quemadmodum scripsit Proclus)quàm homines genarum gestu,& labiorũ agitatione.

Plutarchus autor est,Vulpes mori amararum amygdalarum esu : si non contingat è vicino aquam bibere.Quod & Dioscorides,& Plinius,testatum etiam reliquerunt.

Flos Calthæ,seu Calendulæ,ortu Solis aperitur, occasu clauditur: ideóque Solis sponsa , planta ea quibusdam dicitur: quòd dormiat & expergiscatur cũ illo: crepusculis sopita,desiderio quodã redeuntis sideris.Nec de flore solùm , sed etiam de folio circum actus ille cũ Sole spectatur.

Folia herbarum quàm paucissima à iãdictis diurnũ Solis cursum

imitantur, niſi maluæ, loti, lupinorum, & heliotropij, quod Solſtitio tantùm floret Theophraſto: vnde temerè cũ Calendula à multis cõfunditur: quæ id nominis adepta eſſe creditur, quòd ſingulis ferè menſium calendis floreat.

Plenilunio maximè gliſcunt in hortis Cucumeres, manifeſtumq́; incrementum capeſſunt, & more Echinorum marinorum implentur, vt tradit Atheneus. Cæterùm à Mulis (vt Pepones à Felibus) maximè expetuntur: nam odorem illorum eminus ſentiunt. Quare munienda ſunt cucumeraria, ne erum pentes ea depopulentur, ac proterant, vt poſtea dicemus.

Cucumis quoties cœlum tonat, veluti perterritus timore, cõuertitur. Aquas amat, & ad illas ſe ex,

tendit: oleum verò fugit, & ad illud ſe intorquet, vt infrà latiùs exponetur.

Loti herbæ Ægyptiȩ ſcapum & florem (vti etiam Papaueris) Solis exortum quotidianum & item occaſum noſſe, author eſt Theophraſtus: ſcribens eius caulem & florẽ veſpera mergi, & in Euphrate vſque in medias noctes totum abire in lacum: adeo vt ne demiſſa quidẽ manu poſsit inueniri: verti deinde, paulatímque ſubrigi, & ad exortũ Solis emergere extra aquas: ſuúmque florem patefacere, atque etiãnum exurgere, vt altè abſit ab aqua.

Tithymali genus vnum, quem vocant Helioſcopon, Solis iter ſequitur: & prono ſemper vertice cum eo pergit ad occaſum: per-

diúſque ſemper ad eum ſpectat: ita vt nonnunquam videatur propriũ torſiſſe cauliculum: tanta eſt auiditas ſectandi ſideris. Idem etiam cõtingit Lupinis, Maluæ, & Cichoreo, vt dictum eſt.

Cepa, vt eſt apud Plutarchum, reuireſcit & congerminat decedẽte Luna: ea verò adoleſcente marceſcit. Idcirco, Ægyptij cepas nõ edunt: quia ſolæ olerum omnium contra ſideris incrementa, damnáque, vires minuendi & augendi habẽt contrarias. Siquidẽ omnia quæ creſcente Luna gliſcunt, eadem ſeneſcẽte tabeſcũt. Quod in Oſtreis apertè cognoſcitur, quas ſideris iuuenta complet, ac vberiores facit: ſenium deplet, ac macras reddit. Cùm ergo herbæ, animalia, fruges, arbores, his Lunæ damnis ſubiiciã-

tur, ſolum Cepe viciſsitudines nouit aduerſas.

Laborãt vina, vt Paxamus tradit, occaſu Pleïadum: vel cùm flore vitis exuitur æſtiuo Solſtitio, vel exortu Caniculæ: ſentiúntque vitia cùm cœlum incendio flagrat: aut etiam aër nimio frigore riget: vel cùm vehementes inceſſerunt pluuiæ. Item cùm diro tonitru concutiuntur: aut cùm cœlum violentiùs coruſcat fulgetris. Poſtremorũ noxam arcere credidit Zoroaſtres, ferrum operculis doliorum ſuperpoſitum. Alij admotos Lauri ramos, cœca naturarum diſcordia, vinum ab huiuſmodi iniuria vindicare ſcripſerunt.

Democritus teſtatur Punicam & Myrtum mutua conſuetudine mirum in modum oblectari. Quòd

ſi inter ſe ſocietate ac conſortio fruantur, fertiliores reddũtur. Radices quoque etſi aliquanto diſtẽt interuallo, mutuo complexu exhilarãtur. Refert pręterea Didymus, quòd inſita Myrtho Punica multò plura poma largietur, ſalici item & citrio.

Xenocrates præcipit Pulegij ramum lana inuolutum, in tertianis ante acceſsionem olfactandum dari: aut ſtragulis clàm ſubiici.

Raphanum vitibus inimicũ eſſe conſtat. Nam ſi in vicinia illarum feratur, diffugiũt: quemadmodum de braſsica docet experimentum: quam cum Raphano & Ariſtoteles, & Theophraſtus, & alij plærique confundunt.

Raphanus detractis foliis iucundior eſt: quẽadmodum & rapum:

cui ne noceant pulices aut beſtiolæ illi adnaſcentes, eruum interſerendum præcipit Theophraſtus.

Herbâ holoſteon dictâ (quæ eſt molle gramen, & canis denticulus) ſi veſcantur oues, alui ſuppreſſione confeſtim, quaſi perſtrictis vt volunt, inteſtinis emoriuntur: vſque eò ventrem firmat, vt omni ex parte naturales excrementorum exitus claudantur. Gnari huius rei Opiliones, & pecorum magiſtri, gregem ab ea herba diuertunt, ceu à præſentanea morte, autor Plinius. Columella de herba ſanguinaria conſimile tradit. Sunt qui Piloſellæ de experientia id etiam aſcribant. Ex quo didicerunt medici eam dyſenteriis & vteri profluuiis opitulari.

Chamęleon herba, mutat colo-

res foliorum cum terra in qua nascitur: sic vt hîc viridia, illic sub candida, alibi cyanea, alibi coccinea conspiciantur. A qua varietate, animantis sese in varios colores demutantis appellationē mutuatur.

Peculiare est Vlmo, Tiliæ, Oleę, Populo albæ, & Salici, vt circumagant folia post Solstitiū, vertántque supinas partes: nec alio argumento rustici intelligunt confectū sydus, vt scribit Plin.

Icta fulmine corpora, incorrupta manent: quapropter cadauera percussorum, veteres neque vrebant, neque terra obruebant: vt ne vllam quidem ea sentire corruptionem, omnibus perspicuum esset. Addo quòd canes & aues ab huiusmodi cadaueribus abstinent.

Laurus arbor fulmine nõ icitur: nec Vituli marini tergus, nec Hyenæ pellis. Quare gubernatores nau cleri, extrema vela iis muniunt, ne fulmine contacta deflagrent.

Fulmẽ dormiẽtibus parcit: quos vt cedentes, nec vllo renitentes pacto, feriri negant: ſed de fulminis miraculis leges multa in noſtra Meteorologia, quam nuper & auctiorem, & locupletiorẽ, ac caſtigatiorẽ tibi emiſim⁹ vnâ cũ aëriis Ephemeridib⁹, & Ruſticorũ Aſtrologia.

Vt frumentum in multos annos à putredine & beſtiolis immune perſeueret, Abſynthii, aut Abrotani ſicca folia impone: aut aridæ herbæ Semperuiui folia. Præterea, ne formicæ frumentarios aceruos in horreis contingant, Origanum ſylueſtre circũpone. Autor

Tarentinus apud Cascium Dionysiũ Vticensem, qui Magonis Carthaginensis Geoponica, Pœnica lingua scripta, Gręca fecit, vt est apud M. Varronem. Ex quo multũ peccare mihi videntur, qui Constantino Imperatori, illa adscribunt.

Vineas plantaturus debet quercinam glandem cõtusam & eruum fractum simul miscere, plantarúmque & propaginum locos inde aspergere: hæc enim ad radicationem, vini vetustatem, & fertilitatem plurimùm conducunt: autor Africanus in Georgicis.

Syderatã vitem cognosces, quãdo folia valde subrubra habet. Curabis, si terebro tunicam altè perforaueris: & per foramẽ quernum paxillum indideris. Alij trunco, & radicibus

radicibus humanum lotium affundunt: autor Caſsianus in Georgicis. Sed de his multò plura, vtilia ſanè & pulchra aliquando leges, in opuſculo quod tibi parturimus de Secretis rerum agri.

Mira eſt antipathia inter Crocodilum & Ichneumonē, ac rurſum magna ſympathia inter illum & Trochilum. Saturum cibo piſcium Crocodilum, inquit, Plin. & ſemper ore eſculento in littore ſomno datum, parua auis quæ Trochilus ibi vocatur (Rex auium in Italia) inuitat ad hiandum pabuli ſui gratia: os eius primùm adſultim repurgans, mox dentes, & intus fauces quoque, ad hanc ſcabendi dulcedinem quàm maximè hiãtes. Qua voluptate ſomno preſſum conſpicatus Ichneumon, per eaſdē fau-

ces vt telũ aliquod immiſſus, erodit aluum. Plin. lib. 8. cap. 24.

Vulnera aggrauãtur introitu eorũ qui vnquã fuerint Serpentum, Caníſve dente læſi: idẽ lib. 28. ca. 3.

Maximos Elephantes fert India, & cum his bellantes perpetua diſcordia Dracones: tantæ magnitudinis, vt & ipſos circunflexu facili ambiant, nexúque nodi perſtringant. lib. 8. cap. 11.

Rhinoceros hoſtis eſt Elephanto naturalis: aduerſus quem cornu ad ſaxa limato præparat ſe pugnæ: in dimicatione aluum maxime petẽs, quam ſcit eſſe molliorem. lib. 8. cap. 20.

Mira eſt arũdinis & filicis diſcordia. Nam vtriuſque radix contrita & impoſita, ſtirpem alterius corpori infixum, ſeu inimicum deiicit.

Hinc arũdinem exarari præcipiũt, filice vomeri impoſita, nam ita non excreſcet. Tamen huic optimè cõuenit cum corruda vnde aſparagi fiunt: quapropter illa vbi adſunt arundines, ſeri debet.

Aſpis internecinum bellum habet cũ Ichneumone: mergit ſe limo ſępius, ſiccátque Sole: mox vbi pluribus eodem modo ſe coriis loricauit, in dimicationem pergit, in ea caudam attollens: ictus irritos auerſus excipit, donec obliquo capite ſpeculatus inuadat rectà in fauces. lib. 8. cap. 24.

Elephantes de omnibus animalibus Murem maximè oderunt: adeo quòd ſi pabulum in præſepio poſitum, ab eis attingi viderint, aut ſenſerint, faſtidiunt ac reſpuunt. lib. 8. cap. 10.

Ichneumon animal magnitudine Felis, & ſpecie Muris, Crocodilorum oua conterit: qui luto inuolutus, cùm os aperiũt, ita in eorum ventres inſilit, vt exeſis inteſtinis interimat. Murem Indicum hunc vulgus nuncupare ſolet.

Tanta eſt Adamanti cum hircino ſanguine diſpathia, & odium, vt ſi in illo recẽte, & calente adhuc maceretur, ſtatim rumpatur: qui alioquin incudibus, ferro, malleis, & igni (tanta eſt eius vis indomita) nõ cederet: lib.37.cap.4.

Catoblepis Muſtelarum virus exitio eſt: lib.8.cap.21.

Apibus ſummæ ſunt inimicitiæ cum Veſpis, Crabronibus, Mulionibus, Hirundinibus, Ranis, Ouibus, & Cancris lib.11.cap.18.

Si fictili nouo ĩcluſa Rubeta rana

obruatur in media ſegete, tradunt huic tempeſtates noxias non eſſe.

Oleum ſatis omnibus eſt inimicum: emoritúrque ſtirps quæ eo fuerit inũcta: quare oleoſæ arbores cæterarum inſitionem reſpuunt.

Elephantes Hirudinem non ferunt: nam ſi eam in potu hauſerint, in ipſo animæ canali affixa, intolerando afficit dolore. lib. 8. cap. 10.

Cameli naturale odium aduerſus Equos gerunt. lib. 8. cap. 18.

Adamas intantum cum Magnete lapide diſsidet, Indico præſertim, vt iuxtà poſitus vel ſecundum Albertum ſuppoſitus, ferrum non patiatur abſtrahi: aut ſi apprehenderit, auferat: quo argumento probari poterunt veri Adamantes ab adulterinis, qui hodie ſunt multi. Hoc extra Plinium.

Lacertæ (inimicissimum genus Cochleis) negantur semestrem vitam excedere. lib. 8. cap. 39.

Allio cum Magnete tanta est discordia, vt si eo cõfricetur, vim omnem trahendi deponat, aut imbecilliorem reddat: adeo vt à se ferrũ abigat, tãtùm abest, vt ad se rapiat. Autores sunt Ptolem. Plutarchus, Albertus & Ruellius. Remedium est, purpura illũ detergere, aut Arietino sanguine calente immergere. Extra Plinium.

Orcæ Balænis sunt infestissimæ. lib. 9. cap. 16.

Mugil & Lupus pisces, mutuo odio flagrãt: adeò vt hic caudã illi prærodat: sunt tamen statis mensibus concordes. lib. 9. cap. 62.

Testudo serpentis esu morbum concipit: origani postea cibo noxa

diſcutitur: contra ſerpẽtes pugnatura hoc ſe munit.

Ætites lapis mulieribus alligatus quæ vterum non perferunt, lubricos partus ac procidentes, ad maturitatem continet.

Conger & Muræna caudas inter ſe prærodunt. Ibidem.

In alio animali par opus libidinis nõ reperias quàm in Perdice. Si cõtra mares ſteterint fœminę, aura ab his flãte, prægnãtes fiunt. Hiantes autem exerta lingua per id tempus æſtuãt, concipiúntque ſuperuolãtium afflatu, ſæpe voce tantùm audita maſculi. lib. 10. cap. 33.

Aquilis & Ceruis infeſta ſunt prę lia: nã illę multum puluerem volutatu collectum, cornibus horũ inſidentes, excutiunt in oculos: pẽnis ora verberantes, donec præcipitẽt

in rupes.lib.10.cap.4.

Polypum intantum pauet Locusta piscis, vt si iuxtà viderit, omnino moriatur.lib.9.cap.62.

Locustam Conger, & Polypum Congri lacerant.Ibidem.

Accipiter internecinum bellum gerit cum Aquila, cohærentésque sæpe prehenduntur. lib.10.cap. 8.

Tinnunculus auis naturali potentia Accipitres terret: intãtum, vt visum vocémque eius fugiant. lib.10.cap.37.

Bulbus non sui corporis exiguitate fulminis impetum euadit, sed aduersam & fulminis ictum retorquentem naturam possidet.Græci antipathen vocant.

Aquilis pugna est acerrima cum Dracone, multóque magis anceps in aëre: nam multiplici nexu alas li

gat, ita ſe implicans, vt ſimul decidat. lib. 10. cap. 4.

Diſsidēt capitali odio Cygni ſeu Olores, & Aquilæ. lib. 10. cap. 74.

Cornices & Noctuæ ſe ferre nō poſſunt. Ibidem.

Rutæ cum Erucis non bene conuenit: vnde ſementi miſcetur, & aliis plantis, vt illis careant. lib. 19. cap. 8.

Coruus & Chlorio noctu inuicem oua exquirūt, propterea odio capitali laborant. lib. 10. cap. 74.

Coruus & Miluus diſcordes vbique ſunt, illo præripiente huic cibos conquiſitos. Ibidem

Ferulæ iumentis omnibus præterquā Aſino, præſentaneū ſunt in ipſo pabulo venenum. lib. 24. ca. 1.

Torpedine piſce, procul & è longinquo ſi haſta, virgáue con-

tingantur, artus quantumuis validi torpeſcunt. eadem etiam ad curſum pedes quamuis veloces ligare proditur.

Tradit Pythagoras quòd ſi qui morbi humano corpori acciderint florente Aproxi: quãtumuis ſanati, admonitionẽ eorum ſentiũt, quoties illam florere contigerit. Tradit præterea, & frumentum, & cicutam , & violam ſimilem conditionem habere. Plinius lib. 24. cap. 17.

Diſsident Cornices & Noctuæ: Noctuæ item & reliquæ aues minores, adhæc Aquilę & Trochilus, quoniam rex auiũ ab omnibus nũcupatur. lib. o. cap. 74.

Oleum & calx aquam oderunt: ideo illi miſceri exactè nullo modo poſſunt. lib. 24. cap. 1.

Hyænæ pãtheris terrori eſſe traduntur: vt ne conentur quidem reſiſtere: mirúmque dictu, ſi pelles vtriuſque contrariè ſuſpendantur, decidere pilos omnes Pantheræ. lib.28.cap.8.

Muſtela & Cornix mutuo odio flagrant: adhæc Turtur & Pyralis, necnon Ichneumones & Veſpæ. lib.10.cap.74.

Gallinacei, Vulpes oderũt: quarũ iecur aridum ſi ederint, ab illis nequaquã attingentur. lib.28.cap.20.

Phalangia & Aranei inter ſe diſſident, vt etiam Anates & Gamiæ, Harpæ & Triorches, Accipiter, nec non Muſtelæ & Sues. lib.11. cap.74.

Aduerſus improbitatem alitũ ſemina ſparſa depaſcentium, coctum allium (ne renaſci poſsit) illis

proiectum, mirandum in modum prodesse traditur. Nam quæ deuorabunt aues, manu capientur.

Chamæleōtem Accipitres odere. Nam eos supra sevolantes, ad se detrahere fertur: illósque volūtariè reliquis animalib⁹ paſsim dilacerandos præbere. lib. 28. cap. 8.

Sorices & Ardeolæ inuicem fœtibus insidiantur: ex quo infensissimo odio inter se capiuntur: vti etiam Vulpes & Nili angues. lib. 11. cap. 74.

Aesalon & Vulpes diſsidēt: nam eius pulli à Vulpe infestantur: & rursum Vulpes ac eius catuli passim ab illa vellicantur. Ibidem.

Scorpionibus maximè contrarius esse traditur Stellio: vt visu quoque pauorē iis adferat, & torporē frigidi sudoris. lib. 29. cap. 4.

Aegithus auis minima, cũ Aſino valde diſsidet:ſpinetis enim ſcabendi cauſa ſeſe atterens, nidos eius diſsipat: quod adeo pauet, vt voce rudentis Aſini audita, non ſolùm oua abiiciat, ſed etiam pulli, ſi qui ſunt, metu conſternati cadant. Itaque aduolans, vlcera eius roſtro excauat, vt hinc deinceps illum abigat. lib. 10. cap. 74.

Tam mirabilis eſt Tamarici cũ liene antipathia, vt adfirment, ſi alueis canalibúſue ex ea factis bibãt ſues, ſine liene inueniri: & ideo homini ſplenetico, cibum potúmque dant in vaſis ex ea fabricatis. Quin tradunt virgam ex ea arbore fractam, vt neque terrã, neque ferrum tangat, ſedare ventris dolores ſi apponatur: ita vt tunica cinctúque corporis apprimatur.

Noctua Apibus, Vespis, Crabronibus, & Sanguisugis contraria est ac inimica. ibidem.

Hedera arboribus omnibus & sa[tis] est inimica: & maximè candida nam eas necat: omnémque succū earum absorbendo, tanta crassitudine augetur, vt ipsa arbor fiat. lib. 16. cap. 34.

Æsalō & Coruus valde sunt inimici, nam hic oua illius frangit, vel si minùs potest, è nido deturbat. lib. 11. cap. 34.

Acanthis auicula & Asinus mutuo flagrant odio, propterea quòd illa in spinetis viuit: quorum flores hic deuorat. ibidem.

Serpentes capitali odio Fraxinum arborem prosequuntur: adeo vt ne matutinas quidem, occidentalésve vmbras eius, quàm sunt lōgissimæ,

serpens attingat:ſed procul admo-dũ fugiat. Quin experti prodimus (inquit Plinius) quod ſi gyro ex ea fronde claudantur ignis & Serpẽs, in ignem potiùs, quàm Fraxinum statim fugiet ille, mira naturę benignitate, quę priuſquã ſerpẽtes prodeãt ſicuti florere Fraxinũ permittit, ita ante cõditos, folia nequaquã deponere. Plin. lib. 16. cap. 13.

Formicæ obturatis Heliotropio earum foraminibus efficaciſsimè necantur. Quòd ſi terram ſurculo huius circunſcribat aliquis, negant ſcorpionem egredi: impoſita verò herba, aut inde omnino reſperſum, protinus emori.

Ægithũ Anthus in tantum odit, vt ſanguinem eorum credant non coïre, multíſq; ob id veneficiis infamant. lib. 11. cap. 74.

Dissidẽt Thoes & Leones: Cornix Ardeolæ & Vulpes, ob cõmunes inimicitias. Ibidem.

Querc⁹ & Olea tã pertinaci odio dissidẽt, vt altera in alterius scrobe depactæ, moriantur: sic Quercus iuxta Nucẽ iuglandem lib.24.ca.1.

Formicosam arborẽ Sorices cauent, ac fugiunt: lib.11.cap.74.

Brassicæ cum Vite pernicialia sunt odia: hinc fortasse illa ebrietati resistit: atque eadem Cyclamino, & Origano aduersa, arescit. lib.24.cap.1.

Librat Araneus se filo in caput Serpentis porrectæ sub vmbra arboris suæ: tantáque vi morsu cerebrum apprehendit, vt stridẽs subinde, ac vertigine rotata, ne filum quidem desuper pendẽtis rumpere, imò verò ne fugere queat: nec

finis

finis ante mortẽ vnquam fuit. lib. 11.cap.74.

Cardui mirum in modum patẽt aſsiduis talparum iniuriis: crebróque horum animalium defoſſu, ſępe ruinas cardueta ſentiunt. Sunt qui foramina earũ rubrica, & ſucco ſylueſtris cucumeris impleant. Alij cauernas aperiunt, vt Solis admiſſu territæ, perfugiant.

Pomorum onera ſtatim à iumentis ſentiuntur: ac niſi priùs illis oſtendantur, quanuis pauca portẽt, ſudare ilico, & occulta cauſa laborare incipiunt. lib.24.cap.1.

Serpentes incluſæ circulo herbæ Betonicæ nequeunt exire: quin ſe flagellando potiùs interimunt: Plinius lib.25.cap.8.

Taxus arbor tam præſentis eſt veneni, authore Dioſcoride, vt ſi

quis in eius vmbra, aut ſub ea ſubſederit, lędatur & ſępenumero moriatur: quando quidem corpori vniuerſo, ſtrangulatum, & celerem interitum adfert: hoc extra Pliniũ, quòd ſciam. Quanquã de arcadica Taxo ſimilia apud eũ leges. Ex quo nunc demum Sympathias aliquot, ſeu naturales cõcordias tibi paucis expedio. Antipathias poſtea aggreſſurus.

BAlęna & Muſculus piſces, inter ſe ſocij ſunt ac concordes: quoniã prægraui ſuperciliorũ pondere obrutis Balenę oculis, infeſtãtia ob magnitudinẽ vada hic pręnatãs demõſtrat: oculorũq; vice fungitur: autor Plinius lib. 9. cap. 6.

Amiciſsimi ſunt Pauones & Columbę: Turtures & Pſittaci: atq; Merulæ & Turdi, idem lib. 10. cap. 74.

Cornices & Ardeolæ, quia contra Vulpes pugnant, ideo se mutuò amant: sic Harpe & Miluus, quia cõtra Triorchin. Ibidem.

Tanta est virgulæ ex Corylo cũ metallicis sympathia: quòd si recta per montes, & loca in quibus sunt fodinæ, & latẽt metalla deferatur, illico flectatur in trãsitu: alibi recta stet. Hæc apud Georg. Agricolã in lib. de fossilibus & metallicis. Adhęc apud Mũsterũ in Geographia.

Ferulæ Asinis sunt gratissimæ in pabulo: & Vlmum de omnibus vites amant atque amplectuntur. lib. 24. cap. 1. & 16. cap. 17.

Rutæ cum Fico summa est amicitia: in tantùm vt nusquam lætior proueniat ac esculẽtior, quam sub hac arbore. lib. 19. cap. 8.

Cohærescere carnes tradunt, si

cum centaurio maiore coquantur: adhæc eum ſymphito. Et Galgulus auis ſi ſpectetur, regium morbũ curare traditur.

Magnes ferrum amat, & illud ad ſuum amplexum trahit, atque allicit. lib. 29. in prœmio.

Heliotropium & Cichoriũ Solem amãt: nam cum illo etiam nubilo die circcumaguntur: noctu verò illius deſiderio florem contrahunt. lib. 22. cap. 21.

Noctuas amat Accipiter, quibus contra aues collegio quodam naturæ auxiliatur, ac ſolus bellũ partitur. lib. 10. cap. 17.

Tinũculum Paſſeres & Columbi præcipuè amant: nam illos naturali quadam potentia, non viribus, ab Accipitre defendit. Vnde in tãtum illum formidat, vt viſum

vocémque eius fugiat : lib.10.cap. 37. Hactenus Plinius. Quæ sequũtur, sunt Cœlij Rhodigini.

SI quem succinea veste indueris, alterum verò paleari, ilico mutuis copulabuntur nexibus. lib.9. capite 27 apud Cœlium Rhodiginum.

Viperarum morsibus tibicen scitè modulatéque canens in tempore adhibitus, de experientia medetur: apud eundem. lib.6.cap.13.

Si quem magnetina veste (si quidem fieri posset) indueris, alterum verò ferrea, mutuis ãplexibus perpetuò allicientur. extra Rhod.

Viperã sistit Fagi ramus si ei admoueatur, atq; Taurus ferus, si ficui destinetur, remollitur, lib.9.ca.32.

Permouet omnia Electrũ, aduocátque præter Ocymum, & quæ

fuerint oleo perlita. Ille idem. lib. 15. cap. 25.

Coluber nudum hominem timet, operimentis indutum persequitur. Idem ibidem.

Serpens, si semel calamo percutiatur interit, si iterum, confirmatur. Idem ibidem.

Capræ Ocymum in cibis reformidant maximè. Idem ibidem.

Ocymum mulieribus infensissimum censetur: tanta antipathię vi, vt si pultario inscia muliere obiiciatur obsoniis, nisi amoto nusquã manum admoueat. Ibidem.

Aristolochia supra focum suspẽsa, serpentes fugat, spicula & surculos corporibus infixos cito deiicit: ac suffitus sui nidore subditis carbonibus, febricitantem liberat, sed hoc est extra Rhod.

Brumali ſidere Serpentes infirmiores à Soricibus infeſtantur: qua ex re ante hyemem parãt circa ſe, quibus veſcantur illi, & proinde parcunt. Idem ibidem.

Omnia quæ creſcente Luna gliſcunt, deficiente contrà deſinunt, exuccáque ſunt. Quanquã in quibuſdam eſt antipathia: nam Cepe Plutarcho teſte, Luna decedente reuireſcit, ac cõgerminat, inareſcit eadẽ adoleſcente: proindéq; Ægyptij & maximè Peluſiotæ, à Cepis religioſiſsimè abſtinent: quia ſolæ ex cunctis oleribus contra Lunæ augmenta & damna, minuendi & augeſcendi (ſicut repetit Gellius) vires habent contrarias. lib. 24. cap. 12. De his ſupra.

Si Eryngium herbã vna quæuis Capra ſumpſerit in os: primùm

illa ſiſtitur: deinde reliquus grex omnis cum illa: donec accedens Caprarius herbam eximat. Plutarchus in libello, Quod philoſophus maximè cum principibus verſari debet, ac diſputare. Adhæc Ariſtoteles.

Magna eſt ſympathia inter Feles & Calaminthe ſpeciem tertiã quæ vulgo Nepeta dicitur. Nam tanta odoris huius capiuntur voluptate, vt ſi vulſæ vel hærenti contingat illos occurrere, ei ſeſe ſtatim affricent: deinde magna auiditate ramos depaſcãtur. Quin & ſolo eius eſu, Aeluros concipere vulgus ſibi perſuaſit. Vnde populatim dici ſolet herba Cati. Quæ ſequuntur ex libro Hieronymi Fracaſtorij de Sympathia, & Antipathia decerpta ſunt.

PVllus Gallinaceus vixdum natus, Equum, Elephantémque ac Leonem nihil reformidat. Ille idem Miluum, vel longè conſpectum, adeo expaueſcit, vt ad matrẽ ſtatim confugiat: eadem Agno & Lupo, multíſque inimicitia eſt.

Marſi populi, & Pſili ſerpentes illæſi tractant.

Theſſalos, & quaſdam in Creta familias legimus laudandò afficere faſcino, intuendò verò, infantes in tabem vertere.

Fulmen aurum colliquat intacto loculo: tum etiã vina abſumit, vaſe nequidquam læſo.

Si Gallinacei florem vuæ in cibis manducauerint, vuas non attingẽt. Sunt qui ad œnanthen ſylueſtrem id referant, quæ cibo incocta, & iiſdem iniecta, faſtidium

gignit vuas appetendi, ſed hoc extra Fracaſtorium.

Adamantem ferunt ſolo hircino ſanguine molleſcere: & mala medica conſperſo in eorum cumulũ pane flacceſcere: adhęc, vniſono in cythara tacto, moueri & aliud vniſonum, quod ne propè etiam ſit.

Perpendiculum temperati Magnete ferti in nauigatoria pyxide in diſtãtia incredibili, ad eas partes ſeſe ſemper conuertit, quæ ad Arcton ſpectant.

Ad Galli cantum, Leo animaliũ omnium terror, expaueſcit: adhæc Braſsicæ & Rutę tanta eſt inimicitia, vt iuxtà ſeri nolint.

Aurum neque oleum, neque aquam imbibit: contrà argẽtum viuum, nã ſtatim, atque raptim illud imbibit.

Mira eſt occiſorum corporum antipathia cum occiſoribus. Nam illa cruorem ſtillant, cùm author cædis accedit: maximè ſi intra horas ſeptem ſuperuenerit. Quod obſeruãdo veriſsimũ eſſe ꝓbabis.

Oleum aquæ non admiſcetur: quam nec Adiãtum admittit, pręſertim album: quanquam & riuos & fontes amet. Calx verò & ſpongiæ, & id genus alia, ita abſorbent, vt mirari liceat, cũ alioquin inter ipſa contrarietas nõ parua ſit.

Tradũt radicem Eryngij, alterutrius ſexus ſimilitudinem referre, ſed raram inuentu: & ſi viris contigerit mas, amabiles fieri. Sed hanc colligi quidam iuſſerunt cum Sol Cancri hoſpitiũ tenuerit: Hoc extra Fracaſtorium.

Oſcitante vno, alter oſcitat pari-

ter: niſi aduerterit: & meiẽte quopiam, alius etiam ad meiendũ proriratur.

Quopiam acerba edente, ſaliua alteri in os proſilit: ſimiliter dum raditur ferrum, aut res alia quæuis ſtridorem facit, quædam inæqualitas cùm in toto corpore, tum etiã in dentibus percipi ſolet.

Catoblepa animal paruulum ad mille paſſus cõſpectum, interficit: & Lippus ſi alium, etiam eminus aſpexerit, manifeſtè afficit, atque inquinat.

Signa quædam in fœtum tranſire vidẽtur earum rerum quas matres dum vtero geſtarent auidiſsimè appetiuerunt: & octimeſtris partus non viuit, cùm tamen ſeptimeſtris viuere percipiatur.

Traditum eſt à medendi peritis,

quòd pira in parturientis cubiculo latentia, vel eò perlata, partum morantur, aut ſaltem difficilem reddunt.

Aniſum in puluino ſuſpenſum, vt dormientes olfaciant, inſomnia leuat: ad hæc dolores capitis ſuffitum naribus. Quin & Pytagoras negat tenentes corripi morbo comitiali: ideo quamplurimũ domi ſerendum præcipit: addítque olfactantes faciliùs parere. ſed hæc extra Fracaſtorium.

Aetites lapis, hoc eſt Aquilaris, grauidis admotus vmbilico fœtum continet, ac ſurſum trahit: coxis appoſitus, deorſum mouet, atque partum facilem efficit: quam vim etiam habere tradunt, radicẽ Ariſtolochiæ rotundæ, adhæc Cyclamini, & verum Magnetem.

Eſt Magnetis genus quod ferrũ abigit: ex quo cultelli ita præparari ſolent, vt alter ferrum ad ſe trahat, alter verò pellat.

In tritici genere quoddam eſt, quod trib⁹ mẽſibus generat, vnde etiam trimeſtre vocant.

In ſalis cumulũ ſi Raphani multi ſepeliãtur, illum totũ in aqueam ſalſuginem citò ac facilè redigũt. vnde multi aduerſus calculum aquam raphani è vino albo, & therebentina, ſalubriter propinant.

Non ſolùm verus Miluus, ſed etiam fictus pauorem Gallinaceo Gallo incutit: vt Lupus Ouibus, & Accipiter Columbis.

Vites quę ſecundũ ędificia ſunt à ſoricibus & muribus infeſtantur: id ne fiat, cùm Luna Leonis, Sagittarij, Scorpionis, vel Tauri hoſpi-

ium tenet, noctu putãtur: ſed hoc
xtra Fracaſtorium.
Ignoti & valde inſueti ſoni, ſi-
uti etiam aſſueti, ſed vehementes,
orrorem faciunt, ac trepidationẽ
x inſperato adducunt: & quan-
loque Epilepticas acceſsiones ex-
itant, atque Apoplexiam, & ma-
imè infantibus.
Quoſdam ad riſum mouet titil-
atio alarũ, colli, plantarũ pedis, co
arũ, & vmbilici, alios nequaquã.
Specula in quibus mẽſibus labo
antes mulieres inſpectant, ſpur-
itia, ſitu, ſquallore, ac maculis ob-
ucuntur.
Impoſito oleo in charta, ita vt
ontineat, ſubiectus ignis oleũ ca-
efacit, chartam minimè.
Circunuolutum tenui lintheolo
uopiã pomũ, ab igne calefit, lin-
eum verò ne quidquam lęditur.

Ex Cepa & Allio, vel è longinquo lacrymæ excutiuntur: vt ex pipere, & Iride ptharmica, ſternutamentum.

E Croco, Solano, ſomnus conciliatur: & è tractatione metallicorum quotidiana, Apoplectici ferè omnes euadunt. Experiẽtia teſtis.

Laurus & Braſsica vitem offendunt: ſuccóque ſuo & odore, deteriorem faciunt: nam & eam olfacere, & allicere dicũt: quamobrem cum germen iis propiùs acceſſerit, auerſum retro graditur, inimicum fugiens odorem. Ideo Androcidas ſapientia clarus, braſsicã aduerſari vino hoc prodidit exemplo. Sed hæc extra Fracaſtorium.

Lippitudo nulli membro nocet niſi oculis. Pthiſis ſolos pulmones offendit. Alopecia & Achores caput,

put, Lapis veſicam.

Quædam contagio graſſatur in ſolos Boues: alia in Equos, quædã in Porcos, nonnulla in Oues, &c.

Demorſi à Cane rabido non ſolùm aquas metuũt, ſed etiã corpora omnia diaphana, & pellucida.

Nullam ſympathiam admirabiliorem, & penè dixerim diuiniorẽ reperio, ea quæ Lunę eſt cũ Oceano. Nam quoties illa ſupra exortiuum Horizontem cuiuſcũque loci aſcendit, donec ad medium cœlum peruentum ſit, huius aquas à centro longè ſupra circunferentiã, ceu fune quodam ductario, ſecum aſcendere allicit. Hinc deſcendens ad occiduum vſque Finitorẽ ſupra terram, itidem deſcendere, ac intra ſua littora ſolito modo ſeſe recipere actutum ſtimulat, ac facilè im-

perat. Quod ad ſubterraneum Horizontem accommodare etiam tibi licebit. Quemadmodum in noſtra Lunæ & Oceani cõcordia aliquãdo leges. Extra Fracaſt.

Auſtrinis flatibus Vermes in vitibus naſcuntur. Has ne formica aſcendat, lupinus cum fracibus teritur: eóque ima linea circumlinitur. Ne rubigo vexet, palearum fumus, cùm intempeſtiuum vrget frigus, verno tempore prohibet. Hoc extra Fracaſtorium.

Si quis à Canè rabido aliàs morſus, iacuerit ſub Sorbo arbore, in rabiem rurſus verti ſolet: vti infra dicemus.

Animalia omnia à Cane rabido vulnerata moriũtur, præter hominem: vel, vt alij legunt apud Ariſt. priùs quàm homo.

Qui marinos piſces curſoriis equis in vrbes vehunt, ſepes Leucacanthis ſeu Albiſpinis, vel Rhamnis albis florentibus armatas, cane peius & angue deuitant. Quòd ipſas piſcium ſarcinas hinc repẽte labefactari, de experientia intelligant: hoc extra Fracaſt. vt etiam ſequentia: à Ruellio tamen notatum.

Vina quæ à perſonante tonitru turbari periclitantur: ſuperpoſito ferro, aut Lauri ramo immunia euadunt: quod œnopolæ ſuo ſummo bono experiuntur.

Vina in doliis, florentem in ſua vite racemum quadantenus ſentiunt: ac de coloris, & ſaporis mutatione occultam cum vinea ſympathiam teſtantur apud multos.

Anagallis cæruleum habens florem, illitu prociduam ſedem repri-

mit, ac retrò agit. Quæ phœniceum, ſeu rubentem, prouocat: adhæc ſpicula corporibus eiicit: & infuſione per nares, dentium dolorem ſoluit. Hoc extra Fracaſtorium.

Aprinam ſalitam, quo tempore Apri in furias, Venerémque ruũt, colorem ac ſaporẽ mutare, de obſeruatione tã eſt probatum, quàm à multis celebratum.

Quandocunque animal (etiam ſi homo fuerit) ob receptum vulnus, vel aliter, vermibus ſcatebit: ſi ex pilis eius, vel lana, ante Solis exortum, in apertum corticem immiteris eius arboris quam noſtrates Borbonij patria lingua Tremble vocitant (populi nigræ ſpecies eſt medicis) & aliquot dies perſeuraueris, videbis miraculo quodã, ver-

mes decidere, emori, vel aliò immigrare. Sunt qui Betulæ id etiam aſcribunt, quod tu experiundo cōdiſcere poteris. Idem præſtat radix Cichorij ſylueſtris collo in modū crucis appenſa. Quod nos in cane exæſis ferme à vermibus auriculis obſeruatum bidimus.

Materia è ſyluis cæſa cum Luna creſcens lumine aucta eſt, breui tēpore marcet, ac carie conficitur. Cæſa verò vbi decreſcens exiguo eſt lumine, diutiùs perennat, ac vegetior euadit. Idem de vitium putatione, vindemia, cerealib⁹, & fructuū collectione tibi & exiſtimare, & coniectare licebit.

Oliua in vites inſita, vtriuſq; arboris fructum refert, Gręcis œleoſtaphylon ab vtroque parente nūcupatum. Et palūbes, graculi, me-

rulæ, lauri folio faſtidium annuum purgant. Hoc extra Fracaſtorium.

In Vulturibus natura concipiendi ſingularis eſt, & à cęteris diſcrepans. Illi enim quemadmodum. D. Ambr. adnotauit, nullo concubitu fruuntur, nullóque maſculi ſemine concipiunt: ſed citra coniunctionem generant. Vnde ex Ægyptiorum experimentis, Horum ſecutus, Vultures omnes eſſe fœminas ſcribit: quæ, vt Zephyro arbores, & apud Hiſpanos equę, ſic Euro grauidę reddũtur, aut flante Borea. Quanquam Ariſtot. autor eſt, facie aduerſus Auſtrũ exporrecta volare: atque ſic prægnantes fieri, ac per tres annos parere. Sequentia ſunt Hieronymi Cardani, ex libris de Subtilitate.

EQuipedes, ſi diu veſtigia Lupi ſequũtur, obſtupeſcũt: & eiuſdem Lupi cauda in pręſepio Ouiũ, Boum, vel Equorum ſuſpẽſa, illos prohibet ne comedant.

Fidib⁹ Lupi, Agninæ ſociatę malè obſtrepũt: & Ouina pellis à Lupo dilaniata, pruritum mouet: ſi quis illa induatur.

Nix ſubinde multos dies arboribus inſidet aliis, verùm hederã celerrimè fugit: cuius baccæ vino promiſcuæ temulentiam pariunt: ſed hoc extra Cardanum.

Lupi caput in colũbario ſuſpenſum, viuerras, muſtelas, & noxia omnia animalia ꝓcul arcet ac abigit.

Lupi ſtercus, inteſtina, vel coriũ comeſta, aut geſtata, colicum cruciatum tollunt: & cauda eiuſdẽ ſepulta Muſcas arcet.

Cerui pudẽdum derasum, & cũ stillatitia aquaCardui benedicti potũ, pleuriticos maximopere iuuat.

Dens taxi, vel eius pes sinister, brachio dextro hominis alligatus memoriã roborat: vti Melissa, quæ etiam ingenium acuit, & hylaritatem conciliat.

Oculus Canis nigri recenter erutus, & manu contentus, prohibet ne Canes latrent, fauétque non parum furibus, ac iniquis.

Lapis à cane morsus in potu sumptus, hominem facit clamare: & leonis pinguedine peruncti, à feris tuti esse solent.

Arietis ventriculus in aqua & vino coctus, plærósq; Ouium morbos sanat: & eiusdem cornu, si sepeliatur, ac putrescat, in Asparagos conuerti solet.

Arietis cornu iuxta Ficũ ſepultũ, eam adiuuat ad celerem fructum, & maturationem præcocem.

Author eſt Palladius, quòd ſi Equæ, vel potius Aſinæ, ſed non virginis, caluaria intra ortũ ponatur, quæcũq; ſpectat, ſua præſentia fœcundat: ſed hoc extra Cardanũ.

Gagates lapis frigida maceratus aqua, & igni admotus flãmam concipit, quemadmodum teſtatur Neſtor: oleóque ſuperiniecto reſtinguitur. Extra Cardanum hoc.

Magna eſt humidorum cum Luna ſympathia: quod omnium maximè in Cãcrorum & Oſtreorum pulpa, medulláque oſsiũ ſeſe prodit ac manifeſtat. Nam lumine creſcente Luna, creſcunt illa, turgéntque ac replentur. Decreſcente verò inaniuntur, decreſcunt ac mi-

nuuntur: hoc etiam extra Cardanum.

Anſeris lingua epota ad ſtranguriã eſt mirabilis, ac eiuſdem teſtes: qui, vti etiã Leporis vterus, ad generationem valent: valet & piſcis, qui ſquilla vocatur.

Cor Simiæ prohibet cordis palpitationem, curat comitiales, atque audaciã valde auget, & intellectũ.

Si prægnans Cotonea frequenter edat, naſcetur fœtus ingenioſus & mirè induſtrius.

Gallinarum ventriculi ante cibũ ſumpti, ventriculum confirmant, dum modò concoquantur: & Ericij cinis, membrorum ſuperfluam humiditatem deſiccat: maximè illius iecur & renes.

Ad Ericij pinguitudinem Pulices congregantur, itidem & Hirci,

modò in fouea ponatur.

Cor Veſpertilionis, Formicarum exitũ prohibet: ſic & ſulphuris ſuffitus cum Origano.

Fœniculum ſerpentibus gratiſsimum eſt: nam guſtato illo ſenectã exuũt: oculorúmque acumen ſucco eius reficiunt. Vnde intellectum eſt hominum quoq; caliginem eo præcipuè leuari. ſed hoc extra Cardanum, vt etiam ſequens.

Elaphoboſci pabulo cerui reſiſtũt ſerpẽtibus: ideo pcuſsis ab his ſemẽ in vino ſalubriter propinatur.

Nux Pullo incluſa, illum celeriùs coqui facit: & calcar pedis dextri Galli geſtatum, victores efficit.

Coriũ calcanei dextri vulturis, ſuper pedem dextrũ, & ſiniſtri ſuper ſiniſtrum, dolores huius qui podagra laborat, leuare ſimul & ſe-

dare traditur.

Vmbilicus infantis qui præcisus est dũ nascitur, in argẽteo annulo gestatus, vt carnem cõtingat, prodest in coli cruciatib⁹: quod à multis fœliciter est probatum.

Manus succo Radiculæ seu Raphani diligenter inunctę, faciũt vt tutò tractari possint Serpentes.

Mustelę & Sciurĩ tẽtato allio dẽtibus, vix audẽt in posterum mordere: cicuréſque hoc modo fiunt.

Tanta est antipathia, & naturarũ contrarietas inter Feles & Mures: vt hi non solum pręsentiam illorum vereantur, sed etiam odorem, & maximè stercoris: ex quo fit vt Feles suũ stercus studiosissime occultent. Sed hoc extra Cardanum.

Cornu, ac stercus Bubali crematum ex parte imminẽtis venti, tue-

tur plantas,ac ſata à rubigine.

Scorpiones moriuntur tactu radicis herbę quam ſcorpiũ aut ſcorpioidem dicunt:reuiuiſcunt, ſi cãdido linantur helleboro. Eadem radix omnem quadrupedem exanimat genitalibus impoſita. extra Cardanum.

Citria ſeu medica mala calore panis putreſcunt celerrimè, cùm à multis longè calidioribus minùs lædantur.

Rubea tinctorũ diu manibus cõtẽta, vrinam tingit: & animalia noxia ab oleribus arcẽtur, aqua inſolationis dierum decem, Cancrorũ, aut Pagurorum: quos Maſsilienſes Carabaſos vocant.

Magnetis ſpecies eſt quædam, quã Creagum nominant: cui ſi ſtilum, vel acum africes, carnem &

muſculum, imò verò corpus totũ abſque dolore poſsis penetrare: quod ſe expertum fuiſſe ſcribit Cardanus.

Nux, Quercui, & eius glandibus admodum nocet: vnde Iuglãdem à iugulanda glande dici, contendunt multi: quanquam aliter Cardanus.

Aurum & argentum, plumbum diligunt: & cum liquãtur, plumbo immiſcentur: ſed æs plumbum refugit: & tam aurum quàm argentũ odit ſtannum, aut ſi mauis, album plumbum.

Myrtus iuxta Punicã malum cõſita, eam fructuoſiorem reddit, ſeipſa adoratior: vtraque mirum in modum læta prouenit, ac luxuriat vicina.

Ad Caprillum ſanguinem Puli-

ces omnes congregantur, vt au...
rum ex locuſtis in fouea poſitum, Locuſtæ: à quo etiam ſopiuntur: & Cãtharides diu manu retentæ, ſanguinis mictum prouocant.

Filicis folia cimices necant, ſerpentem non recipiũt, ideo illa ſubſterni locis ſerpentigenis vtile eſt. Addo quòd ſi comburãtur, etiam ſolo nidore eos fugãt, & longè arcent: hoc extra Cardanum.

Filum quod ſemine Staphis agrię cum oleo diſſoluto fuerit madefactum, ſi capiti circũdetur, pediculos tollit, vel occidit.

Fumo ignis ex quo cremãtur quę proprij ſunt generis inſecta, ſicuti etiã quo vermes, Cimices, Pulices, &c. ab eodem illa expelluntur.

Tanto diſsidio flagrant Cancri, & Erucæ, vt ſi à cornibus ſuſpen-

datur illi ramis arborum in quibus irrepunt, aut nidulantur Erucæ, illico decidant, collabantur, ac aliò immigrent. Sed hoc extra Cardanum.

Si populus nigra excisa fuerit: & in illius frusta, iuxta truncum, aqua cum fermento infundatur, fungos producet qui minimè erunt pestilentes. Idem fiet, si super reliquias vstorũ sarmentorum aquam sparseris.

Obseruatum, expertúmque audio, Vaccam, Ouem, Equã, Asellam, Canem, Suem, Felem, similiáque fœminei generis animalia domestica & mãsueta, dum vtero gerũt, aut interire, aut abortum parere, si mas ex quo conceperunt mactetur, vel occidatur: tam valida est ac vehemens illorum inter se sympathia:

pathia, Sed hoc, vt ſequentia extra Cardanum.

Caprificorum groſsi ſatiuis appenſæ ficis, fructum procidere nõ patiuntur, ſed caducum remorantur, & ad maturitatem perducunt.

Segetis magna eſt cum Nuce arbore ſympathia, conſenſus ac familiaritas: nam ſi hæc flore & fructu luxuriauerit, illa idem omnino præſtabit. Sed Virgilium ea in re pulchrè philoſophantem, audire pulchrum erit.

Sedulus obſerua (inquit) cùm ſe
Nux plurima ſyluis
Induet in florem: & ramos curuabit olentes:
Si ſuperant fructus, pariter frumenta ſequentur:

Magnáque cum magno veniet
tritura calore:
At si luxuria foliorum exuberat
vmbra.
Nequicquam pingues paleæ teret
area culmos.

Magna est Hederæ cũ aqua sympathia, & summa cum vino antipathia. Nam si potorium vasculum, ex trunco illius feceris: & ei vinum aqua dilutum infuderis: vinum per vasculi latera paulatim effluet, aqua pura intus remanente: vsqueadeo vini impatiens est Hedera. Autores sunt M. Cato & Plin.

Capræ in Creta sagittis venenatis confixæ, herbam quærunt, quæ Dictamnus vocitatur: qua gustata sagittas excutiũt. Sic Ceruæ paulò

nte partum, purgant ſe quadam
erbula quæ Seſelis dicitur.

Eſt mira ſympathia in fidib9 te-
ſtudinum: quæ præſentibus multis
mihi ſæpenumero obſeruata, de-
monſtratáque fuit. Ea ſic ſe habet.
Acceptis duabus teſtudinibus mu
ſicis, quarum altera ſuis fidiculis
concors fuerit, altera nequaquam:
ſi fidibus eius quæ harmonicè ten-
ſa eſt, feſtucam, aut quid ſimile ſi-
gillatim ſuperpoſueris: quotquot
fides diſcordis, concordes fece-
ris, videbis teſtudinem eam, quæ
quieſcit, & (ſicuti dictum eſt)
harmonicè ſubtenditur, feſtucas
ſuas, iiſdem & ſimilis toni fidicu-
lis ſuperſtratas, ad motum & tre-
pidationem, etiam è longinquo,
excitare: & quaſi diffuſa per aërem
ſymphonia, ad ſimilem concẽtum

& consensum, ceu gaudio quodã, inuitare. Quod nequaquam fiet, nisi ad vnisonum tactum, cum altera harmonicè elaboratum, ventum fuerit. Res sanè prodigiosa, & rari miraculi plena, sed tamẽ a Boëthio olim probata & tradita: de qua etiam apud Cardanum lib. 18. de Subtil. Quæ sequuntur partim sunt Gaudentij Merulæ, partim variorum autorum.

SI quis Lactucæ satiuæ radicem, ex terra ante Solis ortum euulsam latenter sub stratum ægri collocet, illi somnum conciliabit. Idẽ prestant folia quinque, vel tria, aut vnum eiusdem, clanculum sub puluinar posita: sed ita, vt partes à caule cuulsæ ad pedes ægri spectent, supernæ verò ad caput: autor Florentinus in suis Georgicis.

Ruta immundæ mulieris accessum, & omnem prorsus attactũ metuit: siquidem eo confestim enecatur. Cuius medulla tenera, si quis aures obturabit, dolorem capitis sedabit, vt idem Florentinus scripsit. Præterea, si eius virenti ramo aquam per domũ sparseris, nulli culices accedent: aut si qui fuerint abigentur: autor Democritus apud Casſium Dionys.

Oliua virginea manu plãtata, decerpta, & exculta, vberiores fructus præbet: vsque adeo puritatis est amantisſima, & labis nescia. Ex quo antiquis Mineruæ & dicata & consecrata fuit. Autor Florenti. & pallad. lib.1.cap.6.

Erucæ syluestris folia tria sinistra manu retenta, arquatum morbum sanare tradit Florẽt. Et Ver-

baſco nuces illigatas, fructus non amiſſuras. Cuius ſucco ſi manus inungantur, deinde in aquam mittantur, piſces ad ſe allicient.

A præ diis malefici generis ſerpẽtes abigunt, Abſinthium, Arthemiſia, Abrotanum & Trifolium. Adhæc, Origanum contra formicas pollet. Nam non modò id plãtæ Formicæ non attingunt, ſed ne arborem quidem illa circumamictam aſcendũt. Pollet & aduerſus venena fungorum.

Malum citrium comeſtum, donec concoctum fuerit, hominem à ſerpentibus ſeruat immunem. Ex quo peſtilenti aëri, plurimum aduerſari traditur. Et pregnans mulier ſi crebriùs cydoniis malis veſcatur, filium pariet ingenioſum & induſtrium. Author Simeon in li-

bello cui titulus de cibariorum facultatibus.

Centipeda quæ per cellas vinarias repit, lotij difficultates ſoluit: ſi ex ea puluis cum iuſculo, aut vino albo fuerit potus.

Vitem pedũculis, campis, ac vermiculis carituram ſcribit Affricanus in Georg. nec item glaciẽ, aut nebulam formidaturam, ſi illius corticem vrſino adipe colonus illeuerit: aut eodem falciculas putatorias nemine ſciente inunxerit, cum vitem eſt putaturus. Alij eaſdem falciculas oleo obducunt, in quo allium cõtritum fuerit: vt etiã adnotauit Pallad.

Viti ſideratæ præſens auxiliũ eſt paxillus quernus in perforatũ vitis truncum immiſſus. Alij ferreum clauum inſerũt. Alij lotio humano

radices irrigant ac truncum: autor Caſsianus. Quibus addo ex libris Aruſpicum, quòd ſi iuxta vitem abies fulmine tangatur, domini interitum prædicere putatur.

A taxo arbore veneficam vim deponit æreus clauus trunco infixus: & Rhododaphnes ramus cũ foliis tuſus & in ſcrobem immiſſus, muſcas illic congregat: autor Anatolius. Atque hederæ ſuffitus veſpertiliones fugat, aut enecat: vt tradidit Africanus.

Myrtus & malus granata mutuò ſe diligunt: affectio cognoſcitur ex radicibus: quę tametſi aliquantulo ſpatio inter ſe diſsitæ fuerint, connectuntur tamen, atque inter ſe implicantur. Itaque proximè conditæ, altera alteri dat fœcunditatẽ: Autor Democritus ex Florent.

Si prope roſetum plantatum fuerit allium, roſis addet fragrantiam. Et ex myrto cuneus in quancũque florentem arborem adactus, eam arefacit ac perdit: autor Didymus in Georgicis.

Sopitam rabiem excitat Sorbus ſi quis ſub ea ſteterit. Adhęc Arbutus, ſi quem pupugerit. Et ſi ex tamaricino vaſe quis bibere aſſueuerit, lienis vitia non ſentiet: quod & Hederaceo etiam Plin. aſcribit.

Vites braſsicam abhorrent: vnde hæc ſemicocta ebrietati pugnat, vti etiã lactuca ſi præſumatur. Cui tantiſper dum coquitur, ſi vinum vel paucisſimum inſtilles, nunquã coquetur: autores ſunt Berytius, & M. Varro. Sic Nucem & Quercum ſi oppoſita facie plantaueris, alteram harum aut emori, aut in-

firmam eſſe experieris: licet vtràque ſi fructuũ copia luxuriauerit, frugis omnis copiam vaticinetur.

Albæ Populi & item nigræ cortex conciſus in minutias & ſegetibus ſtercoratis inſperſus, Dioſcoride autore fungos edules per totum annum producit. Sed & eiuſdem folia, necnon oleæ, & ſalicis, ante æſtiuum Solſtitium longè alium habẽt colorem, quàm poſt.

Menta ferrum abhorreſcit, vt ruta & ocymum. Quæ ſi vulnerato fuerit exhibita, non facilè conualeſcet. Si in lac coniiciatur, & poſtea coagulum fuerit immiſſum, lac non coagulabitur: autor Florent.

Si quis hederæ nigræ corymbos tres in ſtrophiolum purum mittat, & filo illigatos ſplenico ignoranti

ad triduum alliget, ab affectu liberabitur. Et qui vespertiliones filo suspenderit ad ramos arborum, locustas procul abiget: autor Damageron in Georg.

Si dolium à salsamentis incrustatum circa prędium defodiatur, omne venenosum reptile in id illabetur: deinde obturatum vas comburito extra fines: autor Florent. Sic cantharides quæ vites prærodunt necabis, stercoris bubuli cũ aliquantula parte galbani facto suffitu, ventis flantibus vt Zoroast. tradit.

Si Allium arboris ramo suspenderis, nullæ accedent aues ad populationé fructuum: autor Democritus. Sic portulacę & tithymalli succo mixto illitæ arbores, ad fructuũ copiam sustinendam adiuuantur.

Et fabarum ſemina arborum radicibus admota, illã cogunt areſcere: autores Africanus & Didymus.

Erucæ centum quę naſcuntur in roſetis, coctæ in oleo, ſi ex eo falciculas putatorias illeueris, teneros pampinos à cãtharidibus, pruina, & aliis ſeruabis incolumes. Idem tibi ſubſidium præſtabit falx illita aut hircino ſanguine, aut ranarum: autor Afric. Sed & cantharides roſetorum in oleo coquito, indéque cotem in qua falcem putatoriam exacuere voles, obducito: autor Zoroaſt. & Palladius.

Cancer, ádmota ipſi herba polypodio chelas abiicit, vt eſt autor Zoroaſt. & cancri nouem ab ægrotis ſuibus comeſti, eos reddunt incolumes, vt ſcripſit Didymus. Si quis pręterea cãnabis humidę flo-

rentes ramuſculos penes ſe dormiturus appoſuerit, à culicibus nõ tangetur: autor Democritus.

Orobanchen areſcere cogunt agricolæ, in quatuor agri angulis Rhododaphnes ramulis infixis, autor eſt Sotion in Georg. Sic Colochyntis ſola, olfactu, ventrem exonerat: & Helleborum herbam colligens, ſiue deorſum foliũ trahat, ſiue ſurſum, hoc ſubito tractu cauſa eſt Helleboro, vt hac, aut illa parte corporis humores nõ attrahat: tam potens eſt cœli motus in paratis materiis, autor Marſil. Ficinus.

Harundinis radix aratro appenſa vt terram tangat, filicetum deſtruit, & arundinetum, filicis radix. Addo quòd ab aſini caluaria in medio horto ſuſpenſa, eum flo-

ridiorem effici, ab antiquis traditum eſt: & à Palladio confirmatũ.

Ne muſtũ ſuperfunderetur, Florentinus coronam ex pulegio, aut calamintha, aut origano, collis vaſorum circũponebat. Et pira ſylueſtria in muſtum iniiciebat, quæ ſi ſupernatabant, id purum erat, ſi mergebantur, aquam habebat: alij de moris idem ſentiunt.

Fidicula ex Lupi inteſtinis præparata, vbi impulſa digitis intonuerit caninas fides, aut ouillas coget obmuteſcere. Et incorroſa à vermibus ſemina permanere ſcribit Anatolius, quæ in Teſtudinis teſta diſſeminata fuerint.

Verbena columbis herba gratiſſima, in natali. D. Ioan. muliercula ſe redimunt: per eum annum putantes ſe à dolore capitis immunes

fore: sed ea colligi debet in ortu Canis ante Solis exortum: & Luna non aspiciente.

Morus, Laurus, & Hedera mutuo attritu ignem facilè cõcipiunt: quod exploratorum vsus in castris, pastorúmq; industria reperit: quoniam ad excutiendum ignem non semper lapidis occasio est: teritur lignum ligno: & arido fomite excipitur scintilla. Sed nihil Hedera præstãtius quæ teratur Lauro, Laurũq́; terat: autor Pli. lib. 16. cap. 40.

Serpens cauernam subiens, si manu sinistra retracta fuerit, paruo negocio extrahitur: si verò dextra, nullo modo trahi potest: vt scribit Apul. nõ enim remittit tractus: sed aut effugiet, aut abrũpitur. Præterea, serpens homine percusso non ampliùs à terra recipitur, veluti

hominis vltrice, cui ieiuni hominis ſaliua, venenum eſt: autor Plin.

Mures pregnantes, in vtero parentis repertas fuiſſe apud Perſas, autor eſt Ariſtot. Quin etiam tradunt Magi, muris iecinore dato porcis in fico, ſequi dantem id animal. Et fibrarum numerum creſcere, ac decreſcere in muribus, cũ Lunæ lumine.

Leo conculcatis foliis Ilicis, vt ad cantũ Galli, obſtupeſcit. Et equus à Lupo ſemel ſauciatus, optimus euadit ac celer: autor Zoroaſt. Seribit præterea Pamphilus in lib. rerum natur. eundem equum calcatis Luporum veſtigiis, torpeſcere cruribus. ſed de hoc ſuprà.

Lupum contactu Scillæ herbæ conuelli, idem Pamphilus autor eſt. Idcirco Vulpes illam latebris

ſuis

ſuis circumponere ſolent, propter Lupos. Expertum eſt præterea, eũdem Lupum ſi prior hominem viderit, vocem ei adimere, ac imbecillum reddere. Quem ſi prior homo viderit, viribus & clamore illico priuat: autor Zoroaſt. & Plato in Polit.

Lupum ait Horus Apollo maximè lapides extimeſcere. Idcircò cùm per lapidoſa ire cogitur, ſuſpẽſo pede ſemper incedit. Læſus enim vel minimo lapidis ictu, vermes gignit, à quibus tandem abſumitur. Ideo inſultantem cum lapide viatorem aufugit.

Oues eum ſequi ſolẽt, vt ſcripſit Didymus, qui vellere illarũ aureis obturauerit: quæ, veluti etiam Capræ, comeſta Conyra extingũtur. Quibus addes, quòd ſi ex lanis

Ouium à Lupo mactatarum pannos confeceris, pedũculis replebũtur: autor eſt Zoroaſt.

Hircos fugitiuos non habebis, ſi barbas illis præcideris, vt idem Zoroaſtres & Florentinus ſcripſerunt in Georgicis. Et Æluri nepitã herbam ſequuntur: quorum oculi ad Lunæ vices, aut fiũt ampliores, aut minores: vt antea dictum eſt.

Hirundines ad exterminandas è nidis blattas, & noxia alia animalcula, apium imponunt. Palumbes laurum. Accipitres lactucã ſylueſtrem. Corui viticẽ vel aron. Vpupæ adiãton. Cornices verbenacam ſupinam. Galerita gramen. Turdus myrtum. Perdix arũdinem. Aquila callitrichum. Harpę hederã. Ardeola careon, vel, vt aliis placet cãcros: & Ciconiæ ob veſpertiliones

latani folia:autor Zoroaſtres.

Vpupa ſi cecinerit antequam vi-
es germinēt, futuram vini copiam
ræſagire aiunt. Et Suem ſi capi-
e ad cœlum verſo portaueris, non
runnire.

Trebius autor eſt, clauum vel cu-
eum adactum quanta vi libeat in
rbores, in quibus nidũ habeat Pi-
us Martius, ſtatim exilire, cum is
uneo vel clauo inſederit. Alij ad
erbam, quandam referunt.

Elephãtem furioſum, lenem fie-
conſpecto Ariete, vt ad porcelli
ecẽs nati grunnitum, autor eſt Zo-
oaſter. Scribit præterea Ariſtot.
carabeos & Vultures roſarũ odo-
e extingui, vel vnguento,

Leo viſo igne extimeſcit maximè,
ec re alia faciliùs domatur. Eius
utem oſſa ſimul colliſa, vt ſilices

ignem concipiunt.

Si percussus à Scorpio super Asino rectus desideat ad caudã respiciens, pro ipso dolebit Asinus ac torquebitur. Cuius signum est quòd pedendo emoritur: autor Apuleius ex Diophane, & item Zoroastres, in lib. rerum nat.

Taurus illitis rosaceo naribus vertigine afficitur. Et Oryx anima Oriente Luna & Sole, egesta pedibus terra caput recondit: autore Zoroast. & Sotion.

Ceruus ita Arietem abhorret, v eius conspectũ non sustineat. Cu mira est cum serpentibus pugna discordia & antipathia. Nam inuestigat illorum cauernas, nariúmq spiritu renitentes illinc extrahit occidit, & comedit: qua ex re ad modum siticulosus fit: suapte na-

tura tamen edoctus, aquam ante illorum coctionem nõ haurit, nam ſic interiret. Per æſtatem itaque ceruinæ carnes tutò non edũtur. Autor Simeon in libello de cib. fac.

Cancros fluuiales plurimos, aut paguros marinos non pauciores quàm decem, in vas fictile cũ aqua indito: & addito operculo ſub dio eſſe ſinito, vt ad dies denos inſolẽtur. Hac aqua ſegetibus, vitibus, arboribus, & rebus aliis aſperſa, idq; alternis diebus, vel (vt habet Palladius) octonis peractis idipſum repetendo donec adolcuerint, fieri putabat Democritus, vt illa à quopiã non lædantur, & maximè à beſtiis maioribus. Sed de his aliquando fuſiùs philoſophaturi ſumus in noſtris rerum agri Secretis.

MEdicis noſtris parũ gratus eſſem, ſi in eorum meſſem, meã (quòd dicunt) falcem non mitterẽ: hoc eſt, ſi ex primariis illorum doctoribus ſympathias, & antipathias aliquot non proferrem. His itaque hunc in modum libenter parêre, ac ſatisfacere aggredior.

Cãtharides veſicam peculiariter & ſolã afficiunt: & Lepus marinus, pulmones ſolos ex omnibus animalis partibus vlcerat: Galenus lib. theriac. ad Piſonem: & initio compoſit. pharm. gen.

Euphorbium vẽtrem ouium ſolum non erodit, vt in eo ſeruari etiã poſsit: qualiter in folliculo ſuo bilis. lib. compoſit. pharm. partic.

A Crocodilo læſis, ipſius adeps vulneri impoſitus, ſummo eſt pręſidio: & demorſis à mure Araneo,

citra dolorem ſanatio fit, mure ipſo trito & impoſito: idẽ de Vipera ſentiẽdum, & Scorpio. lib. de theriaca ad Piſonem.

Cicuta homines occidit, Sturnos nutrit: nec vim lethalem in his exercet. Adhæc, Veratrum homines corrumpit, Coturnicibus admodũ gratus eſt cibus. Ibidem. & initio compoſit. pharm. gen.

Amphiſbenam animal biceps, ſi grauida fuerit ſupergreſſa, malè abortit: & Stellio Scorpiones viſos ſubſtringit, ac ita perimit. Ibidem.

Baſiliſcus belua ſubflaua, triplici frontis apice munita, ſolũ viſus, vel de ſibilo audit9, homines necat: ipſam autẽ beluã mortuam, ſi quod animal attigerit, ſubitò moritur: ob id, omne aliorum animaliũ genus, ipſius propinquitatẽ deuitat. Ibid.

Hedera, Braſsica, Raphanus, naturali facultate ebrietati reſiſtunt, & vitibus ſunt inimica: vt ſi circum ſe ferantur, diffugiant. lib.II. ſimplic.med.

Vſta Murium capita, & ex melle illita: adhæc capita Apum & Muſcarum, necnõ ſtercus Murium cũ aceto, & Viperæ pellis in puluerẽ redacta, ĩſuper caput Leporis vſtũ, & cũ adipe vrſino illitũ, Alopeciã curant, ac pilos mirificè regenerãt: lib.the.ad Piſonem.

Lapathi folia ventrẽ cient, ſemen aſſumptũ ſtringit: & Braſsicę, Lentium, Oſtreorum, Gallorum vetuſtorum ius & decoctum ſumptum, aluum ſoluit: ipſum autem ſingulorum corpus, vẽtrem comprimit, Ibidem, & lib.aliment.I.

Iaſpis virens, adhæſu os ventri-

culi iuuat: & vua passa re vera hepati est familiaris: ac stercus Gallinæ cum œnomelite, aut aceto, vel vino aqua diluto sumptum, diuturnum colicũ dolorem sanat. Lib. 9. simpl. lib. 2. aliment. & 10. simpl.

Stercus Lupi ossibus pasti (ob id albidius) supra frutices, vepres, herbas altiores, prima æstate repertũ, non in terra, potum cum pauco sale, aut pipere, aut alio simili, ex vino albo tenui, vel aqua: præterea (quod mirãdum magis) ad ilia appensum, colicos dolores curat, aut plurimùm mulcet: & his ita pręcauet, vt non redeant, vel si veniant, tardiùs & mitiores multò redeunt. Appendendũ verò vinculo, & cingulo ex lana Ouis à Lupo mactatę: vel ex pelle ceruina, vel quauis alia materia: lib. 10. simpl. med. Sũt qui

infantis vmbilico inter telas cõſu-to, & ventri appenſo, idẽ hodie tribuunt, ac certiſsimũ eſſe affirmãt.

Corydalus ſeu Galerita auicula aſſata, vel elixa, ſi aſsiduè edatur cũ ſuo iuſculo, colicos plurimũ iuuare ſolet. Quod ſępenumero expertus eſt Galenus. lib. theriac. ad Piſo. & lib. 11. ſimpl. med. Vires eaſdẽ ad colicos, & nephriticos cruciat⁹, eáſq; probatiſsimas tribuũt periti, pulueri auiculæ nobis frequentis, quam vulgus Meſenguam vocat.

Caro trium Cochlearum multũ tuſa, & cũ vini nigri cyathis tribus calefacta & pota, hydopicos occulta proprietate iuuat: perinde atque Muſtelæ caro, ſiccata & pota, epilepticos: & Erinacei terreſtris Elephãticos, ac Nephriticos. lib. 8. compoſit. pharm. part. & libro. 11.

ſimpl.med.

Aſplenium, Capparis, & Tamarix, ſympathiam habẽt, & familiaritatem cum liene, nam ipſum valde iuuánt. Quin vſu multo Aſplenium omnino illum abſumit: ſicuti vox indicat. Sic Saxifragum, & Betonica, renes iuuant & amãt. lib. de ther. ad Piſonem.

Caput Milui ſine plumis vſtum, & quantum tribus digitis capi poteſt, cum aqua ſumptum, podagricis auxiliatur: perinde atque lumbrici terræ, cũ cærato roſaceo illiti: nam illorum inflammationes, ac dolores mitigant. Præterea, Scorpius aſſus, & cum pane comeſtus, veſicæ calculos cõterit: adhæc Lũbrici terræ ex vino ſumpti, & Murium ſtercus. Ibidem.

Muſtelæ cerebrum ſiccum, ex

aceto potum, epilepticis medetur: & Hirundinis, ex melle illitum, ad ſuffuſiones multùm conducit: perinde atque aſpidis exuuium tritũ, & ex eodem melle illitum, quod etiam viſum facit acutiſsimũ. Accipiter in fuſino vnguento coctus, hebeti viſui medetur: & Cantharus, ſeu Scarabeus, oleo incoctus, & auri inſtillatus, eius dolores ſanat. Ibidem.

Radix Peoniæ, præſertim maris, recens collo appẽſa, contactu carnis calefacta, olfacta, continuò epilepſiã ſanat: & veſica Caprina, aut Ouilla cremata, ex poſca pota: aut Leporis teſticulus ex vino odoro coctus & potus, his qui vrinam inuiti reddũt, benefacit. lib. 6. ſimpl. med. & 9. cõpoſit. pharmac. part. Sed Galeni paucula hæc ſufficiẽt.

Quorum ſementem nobis fecit, lib.2.de medic.compo.rat. IACOBVS SYLVIVS, Lutetiæ Regius Medicinę haud ita pridem profeſſor & illuſtrator. Cui Præceptori noſtro ſemper obſeruando, ſi honores pro meritis, vt olim, exhiberentur, næ Deorum honoribus nõ careret. Niſi fortaſſe plus eſſe putant homines, vnum aut alterum à morte eripere, vt cum Æſculapio fecerunt nonnulli, quàm innumeros: quod ille bene medendo, doctè legendo, & fœliciter ſcribendo ſemper fecit. Deſiit eſſe apud ſuperos 1555.

Hic primum iſtum libellũ claudere ſatagebam, cùm ecce duo hęc mihi in mentem adhuc venerunt.

Cancros fluuiales ad morſum rabidi canis, per κυνοκάυματα fre-

quentiſsimi, vrebat Æſchrion poſt Caniculæ exortum, quando Sol in Leonem tranſiiſſet: non niſi Luna decima octaua. Gal. lib. 11. ſimplic. med.

Alyſſos ad morſum rabidi canis efficaciſsima eſt herba, ex totius ſubſtantiæ ſimilitudine: ſed ea legenda eſt ſub ęſtũ caniculæ, debétque ſiccata contundi, cribrari, ac ſeruari, ne diffletur. Galenus lib. 3. antid.

His poſitis, te ad ſecundum libellum fœlicibus auſpiciis deduco,

Finis primi libelli Arcanorum Naturæ, authore Antonio Mizaldo Monluciano.

ANTONII MIZALDI MONluciani, de Arcanis Naturæ Libellus Secundus.

ANT. MIZALDVS

ANTONIO MINARDO, insignis ecclesiæ Parisiensis Canonico erudito iuxtà ac probo, S. P. D.

SINGVLARIS *beneuolentia quâ parens tuus in supremo Parisiensi Senatu* PRÆSES *inculpatißimus, me nihil tale meritum prosequitur, & pro suo candore, dignatur, inuitat me,* ANTONI MINARDE, *vt secundum hunc libellum memorabilium naturæ arcanorum tibi nuncupem, & ex animo deuoueam.* EX *quo, post variarum rerum, earúmque abstrusarum lectionem variam,*

riam, & explicationem planè inexplicabilem, sed tamen à doctis & probatis autoribus, cùm Græcis, tum Latinis, hincinde conquisitam, testimoniũ qualecunque habebis mei erga prudentißimum parentem tuum animi, meæq; amicitiæ iamdiu tecum initæ. Quæ sicuti à literis, quibus immortalitas paratur, fundamenta sibi iecit, ita immortalem futuram, & spero, & confido. Verumenimuerò ne præfando lõgior sim, & paruo opusculo magnam epistolam adornem, à te peto, vt tam placidè ac hilariter Syluulam hanc secundam Arcanorum naturæ accipias, quàm tibi candidè offertur. In ea, quoties adlibitum erit, iucundè exspatiari, ac tutò colludere licebit. Reperies ibi arborum, fruticum, suffruticum, herbarum, florum, fructuum, auium, &

animalium multitudines varias, sua miracula, rara profectò, ob oculos actutum tibi ponentes. Ex quibus & commodum, & voluptatem non exiguam licebit referre: atque Deum super omnia, talium miraculorum autorem, summè venerari ac laudare. Qui sua pietate ornatißimum parentem tuum, Borboniorum nostrorum decus & specimen, tecum nobis incolumem seruare dignetur. Fœliciter vale ac me vt soles amare perge. Lutetiæ Non. Octob. 1558.

ANT. MIZALDI MONLVCIANI, DE *Arcanis Naturæ, Libellus Secundus.*



Aturæ magnum & celebre miraculũ (vt hinc exordiar) maximáque ſympathia & inſcrutabile arcanum inter Palmas elucet, quemadmodum poſteritatis memoriæ mandauit Leontinus autor Græcus, veterum teſtimonio fretus, & maximè Georgicorum Florentini, ſicuti ex Geoponicis Magonis Chartaginienſis, adnotauit Caſsius Dionyſius Vticenſis. Tradit itaque ille Palmas vehemen-

ti ſe amore proſequi, ita vt altera alteram depereat, adeo eſt in illis Veneris ſenſus quidam & intellectus: nec priùs ſtimulante deſiderio, cupiditatibúſq; leuatur, quã ipſam adamatus mas conſoletur. Videre licet pronam, ſuis comis incumbere, triſtitia tabeſcere, & quaſi vidua eſſet ſterileſcere. Quæ res prudentem agricolam non latet: ſed cuius amore deflagret, aut in quem maritandi cupidine ſolicitetur, incompertum habet. Quapropter complures Palmas inibi circiter conſitas digitis attrectans, ac blandè mulcens, reuerſus ad hãc denuo quæ languens amore corripitur, tanquam dato oſculo manibus ſuauiter attingit: tum veluti refricato quadãtenus deſiderio, blandioribus comis, perinde ac mani-

bus in eum nutat cuius cupidinis tabe peribat: hoc velut oculorum geſtu amorem confeſſa: cuius remedia ſunt, ſi ſubinde man⁹ ei admoueat agricola, quæ marem cuius inani amore capiebatur, attigerint. Sed multò magis inſanus amor diſcutietur, ſi maris flores trũco erutos, idem amaſiæ capiti circumponat: nam hoc mariti ornamento illuſtrata, fructũ dabit: hócque pignore amoris exhilarata fœcundabitur, & ex languidula vegetior euadet. Hactenus ille: Cui Plinium lib.13. cap. 4. ſubſcubere audies. Cęterùm, illud etiam ſilentio de Palma nõ eſt prætermittendum, quòd oneri quãtumlibet ingenti non cedit, ſed contra pondus premens & vrgens, conſtanter reſurgit, vt Ariſtoteles, Theophra

ſtus, & Plinius tradiderunt. Quapropter (vt inquit Plutarch.) in certaminib⁹ Palma victorię ſignũ eſt.

Echineis paruus admodum piſciculus, naues quantumuis ingentes retinet ac remoratur: ex quo latinis Remora dictus eſt. Is ruant venti, ſæuiant procellæ, furori imperat, ac vires indomitas compeſcit: maríſque rabiem nõ aliter edomat, quàm adhærendo nauigia: quæ contra omnes impetus ſiſtit, ac ire vetat. Autores ſunt Ariſtoteles, Plutarchus, & Plinius.

Tradunt Aphri, quòd ſi quiſpiã eo die feriatur à Scorpione quo ederit ocymum, ægrè ſanabitur. Quinetiam volunt ad manipulum huius cum cancris decem marinis vel fluuialibus tritum, conuenire ſcorpiones à proximo omnes. Nar

rant alij contuſum & lapide opertum, ſcorpionem gignere: & commanducatũ ac in Sole poſitũ, vermes adferre. Sed nec omittendum ex Diodoro, idipſum in cibo frequenter ſumptũ pediculos creare.

Si febricitanti infanti qui adhuc lacte nutritur, paris lõgitudinis cucumeres dormienti adiunxeris, ac quaſi cõdormire feceris, ſtatim ſanabitur: nã calores omnes febriles in cucumeres trãſibũt: quemadmodũ ex Quintiliorũ obſeruationib⁹ adnotauit Caſsius Dionyſius Vticenſis, lib.12. Agriculturæ Mago.

Aquã mirè diligunt cucumeres & cucurbitæ: nã ſi illa in patẽs vaſculũ eis propè ſubiiciatur, aut apponatur, à quinq; vel ſex digitorũ interuallo, ante poſterũ diẽ adrepentes cognoſcentur deſcendiſſe,

& in tantùm ſeſe extendiſſe: defe-
ctis aqua vaſis reuerſi decuruātur:
vſqueadeo humore gaudēt, & ſic-
citates oderunt. Secus de oleo ſen-
tiendum: quod tam infenſè ode-
runt, vt ſi loco aquæ illis ſubiicia-
tur, aut apponatur, in contrariam
partem vergant: vel ſi minùs poſ-
ſint, ſeſe intorqueant & recuruent.
Ex Quintil. Georgicis.

Rutam faſcinationis amuletum
eſſe tradit Ariſtoteles. Et Alyſſum
in domo ſuſpenſum refert Dioſco
rides ſalutare amuletum eſſe con-
tra eaſdem faſcinationes, nō dicam
vni hominum, ſed & quadrupe-
dum generi. Pollet etiam, ex Ga-
leno, aduerſus morſum canis ra-
bidi: quemadmodum in fine primi
libelli docuimus.

Theophraſtus autor eſt ocymū

lætius prouenire, ſi cum maledictis ac probris ſeratur. Quod & Plinius adfirmat: & fortaſſe Perſius hoc ſenariolo. Cum bene diſcincto cantauerit ocyma vernę. Multi id etiam Rutæ adſcribunt. Sed hic omittendum non eſt, quòd eãdem rutam, cum menta, cunila, & ocymo tangere ferro non expedit. Quod poſtremum etiam Sabinus Tyro adnotauit: præcepitque meridianam tantùm aquam ocymo dandam: quod ſub exortum Caniculæ (quaſi morbum ſentiens) expalleſcit.

Tradit Zoroaſtres anno toto oculos huius dolorem non ſentire, qui calyces roſarum antequam in flores explicẽtur, leui tactu luſtret: tribúſque earum alabaſtrulis viſum detergat, relictis roſis in roſario parente.

Plutarchus ſcriptũ id liquit: quo ties coryli nucula laquearibus ap- penſa cohærebit, ſcorpius in domi cilia non irrumpet. Nec prætereũ- dum cenſeo, quòd ſimplex ruſti- citas obſeruauit, ſerpentem obtor- peſcere, quę coryli caudice, vel ſur culo tacta fuerit: quin & tandem mori, vt antea ſcriptum eſt.

Autores ſunt multi cæſiorũ ocu lorum pupillam infantibus deni- grari, cinere putaminum auellana- rũ nucũ ex oleo ſincipiti cõſperſo.

Semen erucæ potũ ex vino, ver- bera ſubituris duritiam quandam contra ſenſum inducere, ſcribit Ruellius, lib.2. de natura ſtirpium. Addit præterea ocymum ſi à Sole continenter illuſtretur, in ſerpillũ trãſire: quod vt foliis decreſcit, ita fragrantiùs olet: cuius ſurculi à ſuc

cino (quod leuiſsima quæque mouet & allicit) trahi, aut adduci nũquã poſſunt, abigi facillimè. Quod etiam à Plutarcho eſt adnotatum.

Crateuas Herbarius tradit aſperſu œnotheræ ex vino, omnium animalium feritatem, nedum hominum mitigari. Quod de radice intellexit Theophraſtus. Sic Helianus œnuttam ceruos & canes inebriare ſcribit.

Horus Apollo eſt autor Vpupam auem morbo vuæ tentatam, adiantum ori inditum obuerſare. Quo Gallinaceos pugnaciores fieri tradunt multi, ſi in cibum eorũ addatur.

Scribit Africanus in Georgicis lapathi ſemẽ appẽſum ſiniſtro brachio, mulieribus ademptam pariẽdi ſpẽ reſtituere : reſtibilémque in

posterum adferre fœcunditatem.

Si hederæ nigræ taleolæ tres mundo lintheolo filo alligatæ, in modnm amuleti lienosis appendantur, gestãtes infra triduum hoc vitio liberabunt. Autor Damegeron Græcus in Geopõicis. Tradit præterea Aelianus ceruos phalangio percussas syluestrem hederam mandere, & eo cibo liberari.

Neque morbus sacer, neque dęmon, neque fulmen locũ infestat, in quo laurus est. Vnde boni Genij plantã Laurum Romani vocãt: cuius rami si in áruum defigantur, rubiginis noxam in illos conuerti scripsit Apuleius, autore Berytio in Geopon.

Dioscorides in cibis rutam com mendat quæ prope arborem fici, aut sub ea nascitur: reliquam fer-

culis abdicauit. Cui ſubſcribit Plutarchus ſympoſ. quinto, illam & ſuauiorem, & ſapore meliore indicans.

Atriplex ſi ferro reſcindatur cõtinuò repullulatu luxuriabit. Et ocymum citò naſci proditur, ſi ſtatim quàm ſeueris aqua calida, aut aceti imbre perfundas. Sed rem miram de ocymo narrat Gargilius Martialis, quòd modò purpureos, modò candidulos flores, modò roſeos pariet, ſi ex eo ſemine frequenter ſeratur: quod ſimul atque ſolo creditum eſt, ſi aqua calida perfuderis, modò in ſerpillum, modò in ſiſymbrium degenerabit.

Narciſſus neruos hebetat, ac ſenſus ſopiens membris torporem adfert: quanuis Sophocles magnum Deorum terreſtrium ornamentum

appellarit. Sic ruta genituram coagulat: ideóque gestantibus vterum inimicá, etiam coronis inserta, putatur.

Papauer cum eius lachrima decerpitur, tam vehementem auram eructat, vt qui non sibi cauerint, veterno correpti concidant.

Tarentinus est autor in Geoponicis, quòd caudice populi nigræ iuxta terram conciso, si fermẽtum aqua resolutum infundatur, illico prosilient fungi. Addit, quòd si montanũ aruum multis stipulis, calamis & fruticibus scatens, cùm cœlũ imbres parturit incendatur, permulti spõte naturæ prorũpent fungi. Si minùs pluat, aspergine mentienda erit aqua: sed innocentiores sunt fungi, qui cœlesti imbre gignuntur.

Sunt qui Cancros tres cremari iubent in arbuſtis, vt carbunculi nõ noceant. Et ſi fictili nouo Rubeta rana in media ſegete obruatur, tradunt tempeſtates ibi noxias non eſſe. Quod Archibius ad Antiocum Syriæ Regem ſcripſit. autor Plin. lib. 18. cap. 29.

Simias quadrupedes quibus digiti ſunt, negant creſcere aſſuetas vineri potu. Adhæc naſturtium ſi cum lactuca ſeratur, ęgerrimè prouenire.

Inter viros doctrina percelebres cõuenit ſerendi munus obeundum eſſe, cùm Luna ſub terra agit: & cædendam materiam, cum ſuper terrã diſcurrens fertur. Nec eſt prę tercundũ Alexãdri Macedonis inuentum ſeruandæ niuis in ſcrobes

vbi ea ſit, coniectis è quercu ramis: quemadmodum adnotauerunt autores omni exceptione (vt loquuntur) maiores.

Innocẽtiſsimi erunt fungi ſi pyra ſylueſtria cum illis incoquantur nanque virus eorum exitiale, ancépſque detrahunt. Addo, quòd Alyſſō herba vel manu geſtata, vel oculis cõſpecta, rabie liberat: ideò propę ouilia, caprarum greges, & armentorum cubilia ſeri perquàm vtile putant rerum agri ſcriptores, & ouium pecorĭſque magiſtri.

Africanus ſcribit ranas vocales ſilere, ſi incenſa lucerna lacuum, & fluminum ripis adhibeatur. Adhæc allium, ſanum corpus exulcerare, & contrà cepam vlcera ad integritatem reducere. Cui ſubſcribunt & Didymus & Sotion in Geoponicis.

Geoponicis. multíque alij apud Græcos, primæ notæ ſcriptores.

Omnibus arborib⁹ mors eſt cortex in orbem detractus: quamuis à ſubere & adrachne poſsit impune eximi: Nec omittendum quòd arbores odoratiores fieri traduntur, in quas cœleſtis arcus inflexus incubuerit. Autor Plinius, & poſt eũ Ruellius.

Carnes ouinæ quæ Lupini morſus iniuriam ſenſerũt, ſuauiores tenereſcunt: ſed omniũ earũ lana pediculos etiam neta creat. autor Plutarch. in Sympoſ. Quibus addo vipeream fagi ramulo cõtactam ſtatim obſtupeſcere. Et Lupum ſcillę bulbos contingentem reſolutũ fatiſcere. Adhæc Leonem frondes ilicis ſupergreſſum torpeſcere: Ac parituros Cycnos viticem in ſuos

nidos adferre: quẽadmodum ſcripſit Athenæus, & nos antea adnotauimus.

Amiantum ignibus inuictum manet: qui, ſi etiam mediis obruatur flammis, non ardebit. Raphanus impoſitu ſcorpionem necat: & magnes ſi allio cõfricetur, ferrum abigit. Necnon marinæ aues cunilam petunt qua exulceratis roſtris medeantur. Autor Zoroaſtres in Geoponicis.

Ficedula & Atricapilla, quę Gręcis Melanchoryphus appellatur, altera in alteram tranſit, Sic vt quæ ineunte Autumno ficedula fuit, vindemiarum exitu in Atricapillã verſa conuolat. Autor Ariſtoteles & Theophraſtus. Ad hũc modum eruca accitis alis in papilionem abit: & erucæ, quæ in fico naſcuntur,

in cantharidas degenerant, atque hydrus ſiccatis lacubus in ſerpentem deſciſcit.

Rupicis auiculæ cõſpectu regius morbus ſanatur. Et æneus clauus carnibus infixus, eas à putrilagine diutiùs illæſas tuetur. Præterea Gallinaceus iugulatus tenereſcit in arbore fici ſuſpenſus. Autor Plutarchus.

Cicuta rutæ contraria, & cœca quadã antipathia aduerſa cognoſcitur, probabili argumẽto: quoniam colligentes rutã manus cicutæ ſucco muniunt, vt antea dictũ eſt, quę aliàs (niſi contegerentur) vlcerari periclitarentur.

Ferunt ramoſas arbores quæ ſterni debent, difficiliùs cædi, ac celeriùs inareſcere, ſi priùs manu quàm ferro tangantur. Ad quæ accedit

quòd apium cùm viret, tritum calcatúmque meliùs adoleſcit: adhæc quòd cuminum maledictis & probris ſatum lætiùs prouenit. Quod ſuprà ocymo, & aliquot aliis plantis etiam adſcriptum audiuiſti.

Teſtatur Plutarchus animo linqui equos & aſinos, qui aut mala aut ficos dorſarij cõportarint. Sed maiore dignũ miraculo remediũ, quo ipſis & hominibus quoq; ſuccurratur, nimirum obiectus panis.

Ebur Zytho perfuſum aut poſca, operi tractabile & obſequioſum reddi, author eſt Plinius: & Elephãtem animal, hordei ſucco mitem fieri. Adhæc oui putamen durum aceto molle reddi, vt per annulum tranſire poſsit.

Volentibus experiri victurus ſit æger necne, præcipiunt radicis

chamęleontis albi diluto, perfundi triduò qui langueat: ternas vices qui pertulerit moriturum negãt. Autor eſt Theophraſtus. Quibus addo quòd eiuſdẽ chamęleontis radix in farina hordeacea cum aqua & oleo ſubacta, canes necat: mures verò in polenta.

Piloſella herba tanta ſpiſſandi pollet facultate, vt ſi ſucco eius gladiorum acies intingatur, ferrum aliud omne (vt aiunt) edomet. Notandum præterea, quòd pulegium recens incẽſum pulices necat: vnde illi nomen. Eſt & ſylueſtre, origano ſimile, quod guſtatum à pecore ei balatum concitat.

Piſces ægrotantes in piſcinis apio viridi recreantur, ſeu petroſelino: quod etiam oris ſuauitatem maximè commendare manducan-

tibus traditur: autor Theophraſtus. Nec omittẽdum quòd elatine pãpinaria, ſeu pimpinella vulneribus iniecta, ferrum ac ſpicula facilè, ac citra ſenſum doloris exigit.

Muſtela cum ſerpente dimicatura, & in murium venatu, rutã priùs edit, ne afficiatur. Hanc porrò ſculptores & pictores propter viſum ſalubriter in cibo aſſumũt. Quæ ſi aqua ſalſa irrorabitur, lętior proſiliet, quẽadmodũ adnotauit Theophraſtus. Sed & eadem furtiua fertiliùs prouenire putatur.

Aiunt nonnulli Leucacanthum, ſeu albiſpinum inſtar lauri fulmine non ici, nec vnquam de cœlo tangi. Prętera deturbandis calculis acinos eius ex vino ſingulari eſſe remedio: vulgus illos Cenellas vocitat.

Satum omne ſcyllę herbę adpoſitũ faciliùs germinat, atque celeriùs increſcit: & maximè ficus: quę inde vermibus non infeſtatur, vt ſcripſit Theophraſtus. Nec omittam quòd ſemina quę bubula cornua ſementis tempore attigerint (Græci vocant κεράσβολα) igni non abſumuntur, autor Zoroaſtres in Geopon.

Thapſia autore Theophraſto ſuggillata & liuentia illuſtrat. Qua ex re Nero Cęſar dignitatem ei dedit, nocturnis graſſationibus cõuerberatam faciem ea illinens cum cæra atque thure, & ſequenti die contra famam cutem ſynceram circunferens. Autor Plin. lib. 13. cap. 22.

Atramentum librarium diluto abſynthij temperatum, literas à muribus tuetur: herba verò ipſa

veſtibus inſerta tineas arcet: autor Dioſcor. Ad quæ accedet, quòd ſcorpium raphanus impoſitus occidit, quemadmodum Zoroaſtres ſcripſit in Geoponicis.

Vino quod acorem quẽdam iam concepit, medetur ollula aquę bonæ plena, vt autor eſt Tarentinus: quæ diligenter operta in doliũ demergatur: poſt triduum inuenietur ab acore vinum ſeſe recollegiſſe, & aquam ipſam olere, ſi priſtinũ robur reſumpſerit.

Marcus Varro coriandro ſubtrito cum aceto carnem incorruptam æſtate ſeruari putat. Cuius ſeminis grana tria in tertianis deuorari iubet. Sunt qui ante Solis exortũ ceruicalibus ſubiici efficaciter exiſtimant. Addendũ ex Xenocrate mẽſtrua cõtineri vno die, ſi vnum gra-

nũ biberint fœminę, biduo, ſi duo: & totidẽ diebus quot grana ſumpſerint. Hæc apud Ruellium lib. 3.

Cauliculi caprifici bubulas carnes additi, magno lignorum compẽdio percoquunt. Et ramus eiuſdem collo Taurorum quantumlibet ferocium circundatus, traditur eos ita compeſcere, vt immobiles maneant. Quod etiã ad ficum trãſtulit Plutarchus. Sed de his libello ſuperiore.

Ruſticæ rei ſcriptores præcipiũt iuxta coronarias herbas, acria vt cepas, allia & id genus, ſerẽda eſſe. Id enim multùm conferre adfirmant ad excitandam & creandam odoris gratiam ac ſuauitatem.

Piſces ſummopere expetũt radicem Ariſtolochię rotundę. Itaq; ſi contuſam admixta calce, mari aut

fluuio ſparſeris, cupiditate mira aduolabũt piſces, cõtinuóque exanimati fluitabũt. Id Plinius coram ſe factũ teſtatur. Ob id piſcatores in Campania, venenum terræ Ariſtolochiæ radicem nominabant. Nũc & cyclamini radice idem contingit, autor Plinius.

Sine ſemine naſcẽtur cucumeres ſi priùs eorum ſemina per triduum oleo ſeſamino maceraueris: nam ita prolem orbam ſeminibus parient. Sed id omittendum non arbitror, quòd ſi ad eum locum in quo cucumis, aut cucurbita conſitæ ſunt, mulier admittatur, cõtactu eius lãgueſcunt virentium incrementa. Si verò fuerit in menſtruis, viſu quoque ſuo nouellos fœtus enecabit. Prius ex Quintil. Georg. excerptũ eſt: poſterius habet Ruell. lib. 1. ex

Plinio vt arbitror. Sed de his rebus fusiùs sumus Philosophaturi in nostris rerum agri Secretis.

Africanus ex Geoponicis Græcorum pollicetur eum ebrietatem non sensurum, etiam si bibēdi certamine prouocetur, qui caprinum pulmonem tostum ederit: vel ieiunus quinque aut septem amara amygdala deuorarit : vel crudam brassicam præsumpserit: vel corona è ramulis aiugę facta, caput pręcinxerit.

Scilla in limine vestibuli suspēsa, maleficiorum pellit introitum: autor Zoroastres. Sed neque hoc loco monere absurdum erit, quòd si luxuriātes cucurbitarum & cucumerum viticulas putaueris, longè celeriùs suos ædent fructus.

Græci asserunt fabæ semina ca-

ponis ſanguine macerata, ab aduer
ſantibus herbis immunia eſſe: qu
ſi pridie aqua infuſa fuerint, citiù
naſcentur: ſi nitrata aqua reſperſa
coctionem difficilẽ non habebunt
autor Palladius lib. 12.

Ruta vt fimũ horret, ita ciner
cupit ali. Et papauer vtiliùs fertu
prouenire, vbi virgæ & ſarmenta
combuſta ſnnt. Idem Pallad.

Capra vbi oculos hebetes ac obtuſos ſibi eſſe percipit, in iuncos acutos ingreditur, & ſeipſam illorum ſtimulis perpũgit, ac curatur, vt ſcribit Beryti' apud Caſ. Dion. Vtic.

Menſe Iulio cùm Sol Cancri tenebit hoſpitium, Luna ſexta in Capricorni ſigno poſita, gramẽ ablatũ nihil de radicibus reddit. Quibus addo, quòd papiliones maxi-

iè abundant maluis florẽtibus:au-
or Palladius lib.8.
Si trito maluauiſco cum ouorum
bumine manus illeueris, atq; alu-
ien ſuperinduxeris, reſiccatíſque
mnibus ſulphur ad vnguem tritũ
:ſperſeris, ignem abſque læſione
actare poteris.autor Albertus.
Si Ichthyocollæ & alumnis æ-
uales partes acceperis,ac inuicem
iiſcueris, híſque acetum ſuperfu-
eris,quidquid ea miſcellanea illi-
um in ignem proieceris, nõ com-
uretur.Idem.
Si cacumina ſeminum cinarę cõ-
ingas,ſpinis carebunt: & ſi per tri
uum eadem madefeceris in aqua
dorata, & ſiccaueris, necnon ſe-
iinaueris, eum odorem ſeruabũt.
utor Palladius lib.4.
Laurus in vitioſam aquam made-

facta, illam salubrem reddit. autor Diophanes in Geopon. Et faba so la frugum exęsa, crescente Luna repletur, quemadmodum scripsit Plinius.

Semina rosę cum grano sinapis & pede mustelæ circa retia posita, aut his appensa, pisces ad se pelliciunt. Eadem arboribus suspensa, steriles illas reddunt: autor Albertus.

Scillę flos virgæ specie enascens, & tardè marcescens, fertilitatē fructuum huius anni portēdit, quemadmodum in nostris Ephemeridibus aëris ostendimus, siue in nostra rusticorum Astrologia.

Frequenti vsu primæ speciei vmbilici Veneris (qui Græcis Cotyledon dicitur) marem concipi, & secundæ fœminam, autor est Hippo-

rates. Et ſemen Rumicis, id eſt ſyl
eſtris Lapathi ſiniſtro brachio al-
igatum, ſterilitatem in mulieribus
mendat, vt in Georgic. ſcribit A-
ricanus.

Palladius eſt autor vitib⁹ hãc eſſe
aturã, vt alba vel nigra, ſi rediga-
ur in cinerẽ, vinóq; imponatur, ei
namquãque formã ſui coloris im
nittere. Tradit pręterea omne tri-
icũ in ſolo vliginoſo poſt tertiam
tionẽ in genus ſiliginis cõmutari.

Sues ſumpta herba hyoſcyamo
ræſenti periculo conuellũtur: niſi
opioſa aqua ſtatim ſe foris & in-
us proluerint vt Ælian⁹ autor eſt.
Addo ex Plinio, quod candida in-
umẽta ſues perinde atque elephã
es, impensè oderunt: boues & tau-
i, purpurea: quod multi ſub hoc
abitu ſuo ſummo malo sũt exp̃ti.

Verbena collecta Sole per Arietem incedente, & cum granis peoniæ collo appensa, vel trita & naribus immissa, caducum morbũ soluit. Et chelidonia super caput infirmi posita, si moribundus est clamabit: si seruari debet, collacrymabit: autor Alb.

Punicæ ramulum ferunt venenatas bestias & serpentes arcere: proindéque in stragulis ipsum imponendum esse cẽsent, securitatis ergo: autor Africanus in Georg.

Herba conyza sicca (vt Græci asserunt) frumentis substrata illis ætati addit. Et columbæ suum locum non deserunt, si per omnes fenestras aliquid de strangulati hominis loro, aut vinculo, aut fune suspendas: autor Palladius libro primo.

Si ſcorpium vſſeris, reliquos (ſi qui præſentes fuerint) vel accipies, vel fugabis: idem & formicis con tingit: fortaſsis & aliis huiuſmodi animalibus: autor Democritus in Geoponi. tradit & Didymus ibidẽ quòd ſi quis miliarem panem prę-ſumpſit, nunquam à veneno noxã incurret.

Si ſenis hominis cranium in pe-riſterotrophio ſeu columbario ſuſ pendatur, multiplicabuntur ibi co lumbæ ac quietè viuent, Idem prę ſtabit lac mulieris puellam à bima-tu lactantis, ſi in vitreo vaſe ibidem ſuſpendatur: autor Albert.

Talpæ interibunt ſi earum fora-mina rubrica & ſucco agreſtis cu-cumeris impleueris. Et ſi capiti porri ſemen rapæ ſine ferro immi-ſeris, multùm fertur increſcere:

meliùs ſi hoc frequenter facias: autor Pallad.lib. 3.& 4.

Ferrum paleis incubantium Gallinarum ſuppoſitum, multam malitiam auertit:autor Florentinus in Georgi. Et ſi quis anum Galli oleo perunxerit, cum Gallina non coibit:nec ille idem vocem ædet, ſi caput & frontem oleo illeueris.

Leporis aſtragalus ſuper eum qui colicum dolorem patitur ſuſpenſus, aut ab eodem geſtatus plurimùm confert: autor Archigenes apud Albertum. Addit prǽterea, quòd dũ aliquid de vmbilico infantis recens nati prǽciditur, & ſub lapide argentei annuli, vel aurei includitur,ei qui ita factum neſcit, geſtatus,colicum cruciatum vel leuat, vel ne inuadat præcauet.

Origanum montanum tritum &

myrmecio ſuperſtratum, formicas illinc abire cogit. Et mus punctioni ſcorpionum ſuprápoſitus, multũ iuuat. Adhæc vaccarũ cornua cęreleo, aut picęlco illita, pedũ dolores deponũt: autor idẽ Alber.

Opinantur multi ceparum ſemina ab auibus non attingi: quapropter negant terra obrui debere. Et ſi vis vt animal quoduis non diuagetur, & hoſpitiũ repetat, line frontem eius ſucco ſcillæ.

Hoc in cucurbitis inſigne eſt, quòd longas pariunt & exiles ſemina earum quæ in ceruice naſcũtur: quæ in ventre fuerant, craſsiores: quæ in fundo latas: maximè, ſi inuerſis cacuminibus obruantur: autor Pallad. lib. 4.

Citreum iuuari creditur, ſi cucurbitæ vicinis locis ſerantur. Et fu-

mus ſicci ſtercoris bubuli incenſi, ſaluti apibus eſt. Adhęc ſemē braſſicæ vetus mutatur in rapa, & contrà Et ſi cū lactuca ſeratur naſturtium, egregiè naſci fertur: ſed de his ſupra: autor Pallad.

Si allium Luna ſub terra poſita ſeratur, & ſub terris eadem latente vellatur, odoris fœditatem exuere fertur: autor Sotion Græcus in Geopon. & Palla. lib. 12. Tradit ille idem dulciora effici allia, ſi in plantando nucleos oliuarum circū poſueris, vel allia ipſa contuſa plantaueris.

Delphinus Simonis appellatione adeo gaudere fertur, vt hoc tanquam illicio ductus, appellantes ſequatur: quod à piſcatoribus fide dignis auditum eſt.

Vites decreſcente Luna putan-

dæ ſunt, adhæc vindemiandæ: quæ ſi ferro vulnerentur, ægrotant: prę ſertim nouellæ: autor Anatol. in Geopo. Ex quo addo columbinū ſtercus ad celerem vitium germinationem idoneum eſſe, verùm ad vini generoſitatem ſummè incommodum.

Coriandrum in albo aceto per diem maceratum, aptiſsimum redditur ad necandos pulices, ſi per ſolum cubiculi ſpargatur. Et radix acetoſę ſuſpenſa collo eius qui patitur ſcrofulas, ſæpe mutata, ac repetita, iuuare creditur.

Quotidiana experientia conſtat vitem delectari vlmo, ceraſo, malo perſica, & amygdalo. Ficus, nux, & olea in ambitu longè ſeri debēt. Addo quòd ſi talpas à viñea, agro, vel horto deturbare voles, vnam

cum accenſo ſulphure in ollá conijcere debes, nam omnes aliæ ibi conuenient.

Mures ruſticos ſi querneo cinere eorum aditus ſatures, attactu frequenti ſcabies occupabit, ac tandem perimet. Præterea ſi vituli marini pellem in medio vinearũ loco, viticulæ ſuperieceris, contra immines malũ totius vineæ mẽbra, te veſtiuiſſe tradũt: autor Pallad.

Aduerſus animalia quæ ſolent hortis nocere, præcipiunt Græci Veruecis vẽtriculum ſtatim occiſi, ſordibus ſuis plenum in loco vbi abundant huiuſmodi leniter operiendum. Nam poſt biduum congeſta ibi erũt animalia quæq;. Hoc cùm bis, vel tertiò feceris, genus omne extingues: autor Palladius.

Si ſanguinẽ teſtudinis lineo pan-

no exceptum reſiccaueris, & ex eo ellychnium feceris, quiſquis illud incenſum tenuerit, pedere non ceſſabit, donec dimiſerit. Et lingua viuentis ranæ extracta, rana in aquã proiecta, ſi ſuper cor dormientis ponatur, facit vt ille ad interrogata reſpondeat: autor Albertus.

Illum grandini obuiare ſcripſit Palladius, qui Crocodili pellem, vel Hyenæ, vel marini Vituli per ſpatia poſſeſsionis circumtulerit: & in cortis aut villæ ingreſſu ſuſpẽderit, vbi malum inſurgere videat. Veſpertiliones non habebis, ſi Platani folia in ſuſpecto loco deponas. ſed & hædera ſuffumigata illas occidit: autor Africanus in Geoponicis. Addo ex Didymo ibidem quòd ſtuporem nouæ viti inducit ferri contactus, itidem arbori ac

plantæ: quare meliùs eſt manu tra ctare.

Si paluſtrem teſtudinem dextra manu ſupinam ferens, vineas perambulet, & reuerſus eodem modo ſic illam ponat in terra, & glebas dorſi eius curuaturæ obiiciat, ne poſsit inuerti, ſed ſupina permaneat, fertur ab iniuria grandinis vel tempeſtatis agrum defendere: autor Pallad.

Perſicum ſummè iuuat ſerpentis ſpolium appenſum: & contra eius vitia proficit ſpartum ligatum, vel ſpartea de ramis ſuſpenſa: autor idẽ Pallad. Ad quæ accedet, quòd ſi nigram vuam in ceraſum conſeras, etiam in medio vere vuam habebis.

Oleum ſatis omnibus eſt inimicum: & oculus Lupi geſtatus ad vi

ctoria facit: serpentésque eliminãtur peucedani suffitu, Et scarabeus iu rosis sepultus moritur, in sterco re vitam recipit: ac portulaca super lectum posita somnia & phantasmata impedit: autores Plinius & Albertus.

Si minuente Luna serantur Cepæ, tenues & acriores proueniunt: si crescente, robustæ, & humoris humecti. Addo quòd brassica celeriùs coquitur virore seruato, si dum est trium vel quatuor foliorũ nitrum tritum, & cribello secretum, desuper asperseris, vt speciem pruinæ canentis de superficie imitetur. Nec omittẽdum puto, quòd si vermes pomiferam arborem infestent, tedæ cuneus eius radicibus insertus, illos arcet ac deturbat: autor Pallad.

Sæpe percuſſa olea, poſteri anni fructum amittit: autor Varro. apud quem Agraſius teſtatur eos qui decreſcente Luna tondentur, citò ac facilè calueſcere. Addit idem Varro cythiſum herbam ab æquinoctio verno florere incipere, & ad alterum Autumni ęquinoctiũ permanere.

Feles nullam auem contingent, ſi ſub ala ipſius ruta ſylueſtris ſuſpendatur: autor Sotion in Geopo. Vbi etiam traditur, quòd ſi videris ſerpẽtem ſępe viti implexum vindemiæ tempore, vinum acidum expectabis.

Conſtat locum nullis propè vtilem fructibus in quo palmæ naſcuntur: & lapidoſas terras fructus lapidoſos generare. Cæterùm ſi languida erit arbor pruni, amurca

æqualiter cũ aqua tẽperata radicibus debet affundi: vel cineres ex furno, & maximè ſarmentorum.

Si nucibus Græcis in aqua tritis canum aures, & inter digitos vnxeris, muſcæ, pulices, & ricini eos non exulcerabunt. Ad quæ accedet, quòd ſerpentes à caueis gallinarum & auium abiges ac arcebis, cornu ceruino ſæpe incenſo: autor M. Varro.

Si rubra poma, pira, racemos, nuces & alia facere voles, inſitionem para in moro. Et ſi fructus quoſcumque diu ſeruare voles, recentem illorum pediculum pice lique facta illine. Addam ex Geoponicis Græcorum, quòd qui fructus recentes in exſculpta, aut intus formata vaſcula includet, ac augeſcere ſinet, formas ipſas ibi impreſſas reperiet.

Scilla iuxta radices arborum plã tata, à vermibus immunes esse facit: & seris herba tacta aqua etiam cùm est arida, fit viridis: autor Varro. Qui etiam tradit eum qui bona olet vnguenta ad apes accedere nõ debere, nam ab his grauiter pungetur, ac stimulabitur.

Boues nitidiores fiunt si focum proximè habeant, & ad ignis lumen intendant: & rutæ ramuli plures in columbariis suspensi, noxia arcent animalia. Insuper coriandri folia frumentis remixta, illis conseruandis maximè prosunt. autor Palladius.

Aquarum amaritudinem emendat corallium contusum & iniectum: necnon tritum hordeum, & lintheolo illigatum. Sic pedibus confricatm sal, nocumentũ tollit,

quod ex vini crapula contrahitur.

Hieraces ex accipitrum genere, obſcuritatem oculorum diſcutiũt ſucco herbæ hieracij, præſertim maioris: quam herbularij quidam cichoreum lutheum, aut croceum vocant. Et folia apocyni, ſiue cynocrãbes cũ adipe in panes cocta, lupos, canes, vulpes & pantheras enecant in cibo data: atque eorum coxendices reſoluunt: autor Dioſcorides.

Vultures locum cadaueribus deſtinatum, ſeptem antè dies quàm pugna committatur, præuident: in cúmque locum in quo alterutra pars ſuccumbet, reſpectant. Quam obrẽ Reges olim ſpeculatores præmittere ſolebant, qui renuntiarent ad quamnam partem vultures oculos referrent.

Cinis ranæ magnę collo gallinę, vel alterius volucris lintheolo alligatus, prohibet ne ſanguis effluat, etiam ſi profundè vulneretur. Ex quo multi colligunt eundem cinerem geſtatum, muliebrem fluxum menſtruum retinere poſſe, ac alias item hęmorrhagias.

Pennę alę dextræ merulæ in mediis ædibus filo ſuſpẽſæ rubro, ſed cuius nullus fuerit vſus, faciunt ne quis dormire poſsit donec auferantur. Et cor eiuſdem capiti dormientis clam ſuppoſitum, ad interrogata reſpondere illum inuitat: autor Albertus.

Fama eſt quòd ſi pſylliũ virens domum importetur, non ſinere in ea pulices gigni. Quòd ſi in feruẽtem aquam adiiciatur, calorem reprimit: autor Dioſcorides. Ad quæ

accedet, quòd auriculas viuẽti Lepori præciſas ſomnos infantibus allicere tradiderunt nõnulli: præſertim ſi illorũ capiti ſubiiciãtur.

Quarta Luna qui naſcuntur, infœlices eſſe putantur ab Euſtathio lib. Iliad. 2. Quòd Hercules hac Luna ſit natus: cuius vita periculoſis ſemper laboribus plena fuit. Addunt alij quòd 10. mẽſe etiã in lucem venerit: qui partus Aſtrologis inauſpicatus eſt, ob Saturnum natalis periodi tũc autorem ac dominum. Sed ea de re alibi à nobis ſcribetur.

Occulta eſt antipathia vel poti⁹ ſympathia (ſed tamen lethalis) aui cuipiam montanæ, cum capris. Nã illa in harũ ſtabulis aduolãs, vbera ſugit: qua iniuria vber extinguitur, & capris cœcitas oboritur. Vn-

de Caprimulgus vulgò dici ſolet.

Vſu frequenti tuberum epilepſiam, & apoplexiam gigni, autor eſt Simeon Zethus. Cæterùm, illis cum cœlo affinitatem eſſe credidit antiquitas, nec niſi tonante Ioue naſci. Vnde Iuuenalis, facient optata tonitrua cœnas.

Verrucas ſingulas ſingulis granis tangunt nonnulli: eáque grana lintheolo deligata, poſt ſe abiiciunt, atque ita decidere eas arbitrantur: autor Dioſcor. Nec omittã quòd lapis è capite Draconis erutus, ſi aceto ſuperfuſus fuerit, mouebitur primò in rectum, mox in obliquũ, deinde in gyrum, donec exhalet aceti vapor. Idem præſtat lapillus in capite Cancrorum repertus, quemadmodum plus millies ſum expertus.

Fugantur

Fugantur pulices amurca per pauimentum frequēter resperſa. Vel cimino agreſti cum aqua trito. Vel cucumeris agreſtis ſemine aqua reſoluto. Præterea necantur mures, ſi helleboro nigro caſeum, vel panē, vel adipes, vel polentam permiſceas & illis offeras: author Palladius.

Ex amaris amygdalis dulces facies, ſi circa radices, ouis, vel paruuli ſuis ſtercus infundas. Idem fiet infixis clauis multis aureis. Quòd ſi formicas à quopiam loco abigere voles, cochlearum teſtas vacuas vre, & eo cinere illarum foramina inculca: author idem Palladius.

Frondes Lauri, libros & veſtes cū quibus ponūtur à tineis defendūt, necnon à vermibus & corroſione tutos reddunt: autor Dioſcorides.

Quibus addo quòd pueri braſsica veſcentes citiùs augeſcunt: & qui boletos venenatos ederit, ſucco eius poto ſeruabitur, vt in Grçcorum Geoponicis adnotatum eſt.

Capræ multum lac faciunt ſi circum ventres ipſarum dictãnum alligaueris: autores Florenti. & Africanus in Georg. Qui poſtremus etiam tradit arietem non incurſurum, nec impetum facturũ, ſi cornua ipſius prope auriculas perforata fuerint.

Ariſtolochia rotunda diligenter trita cũ campeſtri rana, & ſcriptorij atramenti parte aliqua, facit vt ſerpentes ceu mortui illico ſubſiſtant & hæreãt, ſi ex ea miſcellanea aliquid ſcripſeris, & corã illis proieceris. Quod ſi talpas accipere vo-

les, illorum foraminibus & osculis allium, porrum, aut cepam obiice: statim ac si stupidi essēt foras prosilient: autor Albertus.

Ex amiantho contextę telæ si ignibus iniiciantur, ardent quidem, sed flammis inuictæ splendidiores exeūt: autor Dioscorides. Pręterea lapis asbestus semel accēsus ignem perpetuum seruat, maximè affuso pingui aliquo, éstq; inextinguibilis. Ex quo nostratibus Gallis vulgò *mesche sans fin* vocatur.

Theophrastus autor est, si quispiam in bullientem vini vrceum pumicem iniecerit, feruorem statim sedari: Quibus addim⁹ cor canis in sinistra parte gestatum, non sinere vt canes allatrent: & Lupi oculum dextrum in dextra manica portatum, canum hominúmq; no-

cumenta præpedire.

Aduersus mures agrestes Apuleius asserit semina bubulo felle macerãda esse antè quàm spargantur. Alij eorum aditus rhododaphnes foliis claudunt. Nec prætereundũ quòd vicia ante Lunam vigesimam quintam serenda non est: quia sic satam limaces persequuntur: autor Palladius.

Magna est sympathia & naturarum familiaritas inter psittacum & turturem. Nam hunc de omnibus auibus amat ille: & contrà. Quod mihi & item multis exploratũ sæpe fuit. Sed Ouidij testimonium huc adferre pulchrum erit, ex epistola Sapphus.

Et variis albæ iunguntur sæpe
columbæ:

Semper & à viridi turtur amatur aue.

Si vermibus laborant arborei fructus, curabis radices illinendo bubulo felle cum aceto: nam ſic continuò morientur. Addo quòd mala multa proferet punica arbor, ſi tithymali & portulacę ſuccus æqualiter mixtus, trũco illinatur antequam arbor ipſa germinet.

Si cum ſanguine iuuenis leporis hyoſcyamum miſcebis, & in ipſius ſpolio, aut ſi vis, pelle conſueris, omnes loci lepores in quo iacuerit ad ſe pelliciet: qui illinc abire non poterunt donec abſtuleris. Addo quòd viſcum quercinum ſylphio coniunctum, & ad arborem cũ hyrundinis ala ſuſpenſum, aues ad ſe congregat. Autor Albertus.

Quotquot oues linguam albam, nigram, aut variã habent, tales fœtus plurimũ generãt. Admirãdúmque eſt quod Archelaus ſcripſit, capras non naribus, ſed auribus ſpiritum trahere: vbi non omittendum quòd mures radicibus cinarum libentiſsimè veſcuntur, & ad has etiam è longinquo turmatim accurrunt. Autor Marcus Varro.

Aiunt Lupos cùm ſint nacti ſues, trahere vſque ad aquam: quòd dẽtes feruorem carnis ferre nequeãt: autor idem Varro: apud quem etiã lego, tot porcellos parituram porcam (ſi quidem generoſa eſt) quot mammas habet. Ad hæc ſpectatas eſſe ſues, quę præ carnis pinguitudine non modò ſurgere non poterant in quarum corporibus ſorex

exæſa carne nidũ feciſſet, ac mures peperiſſet. Quod pro miraculo nõ cenſeo habendum, cùm talia paſſim videantur.

Folium portulacę lingu ę ſuppoſitum ſitim extinguit, quemadmodum lapis Alectorius in Gallorum caſtratorũ ventriculis repertus. Et teſtudo à ſerpentum eſu ægrotans, origano ſuperingeſto curatur, vt ſcribit Zoroaſtres in Geoponicis. Vbi etiã Didymus teſtatur paleas foliis & ramulis arborũ, oleribúſq; maximè nocere, nã cuncta adurunt ac perforant.

Si moſchum inodorũ fuerit, latrinis ſuſpenſum odorem reuocat. Et roſę dũ aperiri incipiunt, ſi ſulphure ſuffumigẽtur, è veſtigio albeſcũt: autor Didym⁹ in Geor. Addo quòd arũdineta incenſa vegetiora

renaſcúntur. Et augeſcente Luna ſi agri ſtercorentur, herbarum excretionem adiuuant.

Ad præſagiendum de euentu alicuius ægrotantis, præcipit Plinius verbenam ab eo geſtari debere qui inuiſit: rogãdúmque ecquid valeat, qui ſi rectè reſpondebit, futuræ ſanitatis augurium eſſe ſcribit, ſi cõtrà, mortis.

Mirabilis eſt natura eius plantæ quam tripolium nuncupant. Nam eius flores ter die mutãtur, vnde ſcilicet nomen habet: mane candidi, meridie purpurei, & veſpere punicei: autor Dioſcorides. Sunt qui foliis polij idẽ aſcribãt, niſi quod Sole occidẽte cœrulea videri aſtruũt.

Nõnulli à capitis dolore naturaliter liberati ſunt folio oleę hoc nomen ἀθηνὴ inſcribentes: ipſúmque

folium cum filo circa caput obligã tes. Cæterùm si ab incursu aprorũ immunis esse volet aliquis, cancri chelas, vngulas ac pedes pro amuleto alligatos secum habeat: autor Democritus in Geoponicis.

Magna est canum sympathia & indicibilis familiaritas cũ suis heris ac dominis. Nã his extinctis aut occisis, plærũque cibi & potus obliti, vnà moriuntur, vel sensim cõtabescunt: séque morti vltro opponunt, vt iniurias ab his depellant, fures arceant, ac maleficos prodant.

Vinaceorũ cibo sterilescunt Gallinæ: & hordeo semicocto parere sæpe coguntur, reddúntq; oua maiora: quę si oblõga & acuta fuerint, masculos edent, si rotunda fœminas. Addo quod circa Gallinarum

caueas cornu incendere optimum eſt,ne ſerpens illuc accedat, cuius odore ſolet interire:autor Pallad.

Sonus quem Echo reddit, fugare apes exiſtimatur:ideo illarum ſedes eſſe oportet, vbi illa non reſonet: autor M.Varro. Qui etiã tradit fabas & cætera legumina in vaſis oleariis cinere oblitis perdiu incolumia ſeruari: & fabam ipſam ad coquendum facilem reddi, ſi dũ ſeritur aqua reſpergatur.

Coturnices,phaſiani,& perdices ſi ab accipitre occidantur, carnes dãt longè ſapidiores.Et pinus prodeſſe creditur omnibus quæ ſub illa ſerũtur.Nec omittes quòd coccyx Vere prodit, exortu Caniculæ à nemine videtur.

Si Leonis oculus ſub axilla portetur,omnes beſtias occurrentes in

fugam conuertet. Et ſi caput milui collo gallinæ appendatur, illa diſcurrere non ceſſabit donec auferatur, cuius ſanguine ſi criſtã vngas, in poſterum non cantabit. Præterea, ſi pes talpæ lauri folio obuoluatur & in equi aurẽ immittatur, præ timore excurrere non ceſſabit. Autor Albertus.

Crocodilus terreſtris crocũ refugit: ob id mellis cõfectores dum timent alueis à crocodilis, crocum illinunt. Sic cucumer ſerpentinus in aqua maceratus cimices fugat & expellit, ſi locum aqua illa aſperſeris. Idem facit conſolida maior pul uino ſuperſtrata: nã veluti ſtupeſcẽ tes retinet, & ad ſe euocatas ligat.

Flores & folia nerij ſeu rhododaphnes, mulis, canibus, aſinis, & quadrupedũ quãplurimis venena

ſunt: hominibus verò cõtra ſerpẽtum morſus præſidia:maximè ſi ex vino ruta addita bibantur. Imbecillæ etiam animantes, vt pecus & capræ, ſi aquam bibant in qua folia ea maduerint,moriuntnr: autor Diſcorides.

Si voles in conuiuio multùm bibere,cœnaréque libẽter, ante cœnam braſsicam crudam, quantùm voles,ex aceto manducato:& item vbi cœnaueris, comeſto aliqua quinque folia:reddent te quaſi nihil ederis,biberíſq;:bibéſque quãtum voles: autores M.Cato,& M. Varro in lib.de re ruſtica.

Cor maſculinæ coturnicis à viro geſtatum, & fœmininæ à fœmina, facit vt nec lites, nec iurgia poſsint inter illos oboriri, aut ſpargi. Ad quæ accedet, quòd ſi in corio lupi

turturis cor deferatur, geſtans rerũ venerearum illecebroſo appetitu non corripietur. Et ſi in hirci ſanguine & ſucco ſenecionis vitrum ebullierit, aut in eo calente maduerit, molle vt cera exibit.

Suffitus vngularum equi mures fugat. Et ſi aliquot anguillas in vino extinxeris, qui ex illo bibẽt abſtemij euadent. Nec omittes quòd ſerpentes ad allium non accedunt: nec canes guſtant aliquid allio delibutum, etiam ſi impensè eſuriant.

Omnia hortorum, aut agrorum ſemina ab omnibus malis ac monſtris tuta eſſe feruntur, ſi tritis radicib⁹ agreſtis cucumeris ante ſationem macerata fuerint: autor Palladius, qui etiam tradit mulieris capillum vſtum à quocunque loco ſerpentes fugare.

Peribit filix quam per ambitum ſata copioſior arundo coronet: & contrà euaneſcens abibit arundo, quam obſepiens multa filix in orbẽ cinxerit: autor Dioſcorides. Qui etiam ſcribit mares gigni, ſi à muliere poſt purgationes decoctũ mercurialis maris bibatur, & trita folia genitalibus admoueantur: fœminas verò, ſi ex fœmina mercuriali idem fiat.

Lugubres literas fabarum floribus ineſſe, autor eſt Feſtus Pompeius: mortuorúmq; animas in illis habitare affirmat Proindéque tutũ non eſſe inter illas verſari, quieſcere & dormire: ídque noctu magis quàm interdiu.

Filix lecto ſuperſtrata ad puluinar aut alibi, cimices veluti obſides retinet. Et Helleborus albus felli

bubulo remixtus facit vt aues manu capiantur, quæ grana in hac miſcellanea macerata guſtauerint: nã veluti ſtupida humi iacebunt.

Scribit Iſidorus quòd radix virgæ paſtoris, ſeu cardui ſylueſtris in aqua decocta, bibendi auget cupiditatem: contra glycyrhiza, quæ ore contẽta, Scythis olim in bello ad dies multos ſitĩ coërcuit. Quod nos ſuprà etiam Alectorio lapidi, & folio portulacæ dedimus.

Democritus autor eſt in Geoponicis eum qui manus habuerit maturato ſemine raphani trito imbutas, ſine nocumento ſerpentes tractare poſſe. Quin & radicis illorũ fruſtum ſuper ſerpentem, aut ſcorpionem proiectum, lethalem eſſe ſcribit. Quod ad draconteã ſeu ſerpentariã etiã trãsfert Dioſcorides,

Succus herbæ piloſellæ Mercurium ſeu argentum viuum glutinare, & congelare fertur. Tradítque Hermes ſuccum raphani cum ſucco tritorum lumbricorũ terræ, per pannum expreſſorum, reddere ferrum, ibi ſæpe extinctum tam durum vt aliud ceu plũbum incidat.

Oleum ſic metuunt cucumeres, vt ſi iuxtà poſueris, velut arcus plicentur. Quorũ flores, vti etiam cucurbitarum ſi in effigiato fictili cõcluſeris, qualis erit effigies, talis erit vtrorumque figura: ex Græcorum Geoponicis.

Apiũ cùm creſcere incipit, ſi pedib⁹ cõculcetur, lætior ac vegetior ĩſurgit, Plutarcho autore: quo, qui epilepſia laborant veſci non debẽt: tantùm abeſt vt contingant, vel olfaciant: nam acceſsionem excitat.

Plinius

Plinius autor eſt eum qui ſe maluæ ſucco perunxerit cum oleo, ab apibus pungi, lædíue non poſſe. Ad hæc lappæ ſucco illitum, à ſcorpionibus immunem eſſe. Cuius radix cum vino cocta, aluum ſiſtit, folia verò adiecto ſale ſoluũt.

Autor eſt Hermes quòd cucurbita in oſsium humanorum cineribus plantata, & oleo irrigata nono die fructum profert. Adhæc tuſsi laborantem, ſi in os ranæ quæ arbuſta ſcandit expuerit, viuámque dimiſerit, ab ea liberari.

Mures radicibus maioranæ inſidiantur, ceu medicamentum & auxilium ab his quæritantes. Cæterùm, vt ab illis & gurgulionibus, aliíſque animalibus noxiis frumẽta & legumina defendantur, præcipiũt Palladius & Columella pa-

rietes amurca luto remixta illinendos esse: cui aridi oleastri folia, vel oliuæ pro paleis adiicientur. Alij coriãdri folia frumẽtis immiscent: sed de his alibi scribemus.

Quidam fabam in vineto seminant, vt vites à pruina illæsas habeant: autor Diophanes in Geoponi. Addo quòd contra formicas hortenses, cor noctuæ foramini apponit Palladius. In quam rem etiam valẽt origanum, vel sulphur trita & foramini aspersa: quę si extrinsecus venerint, horti spatium cinere, creta, aut oleo, tingatur, ac circunscribatur.

Laurum, & albam vitem fulmina non attingunt: idcirco tonante cœlo Cæsar August. in lauretum diuertebat: & Tarcon albis vitibus domũ sepiebat. Nec omittes quòd

ilex ſuis fructibus curuata, futurum annum frugis omnis copioſum vaticinatur.

Ligna amurca macerata nullo fumi tædio ardebunt. Et lac ad ignẽ ſi tepefiat, ficíque ramulo moueatur, coagulabitur: autor Afiicanus in Georgicis. Nec negligendum quòd botrio vitis poſtquam defloruit, ſi in vaſculum vitreum, terreúmve (ſed paruum tamen) immittatur, ex toto botrione fiet granum vnum.

Oſsiculũ dextri lateris ranæ quã rubetam vocant, in feruentem aquam proiectum illam refrigerare fertur: nec poſtea feruere niſi exemptum fuerit. Quod verò in ſiniſtro eſt latere, contrarium facit. Vtrunque facilè inuenies, rana à formicis exæſa: autor Plinius.

Tradit Albertus quòd herba c
noglossum dicta, seu lingua cani
vbiuis locorum cum corde & m
trice caniculæ imposita & sepult
omnes vicinos canes ibi cogi inu
tat. Eadem sub pedis pollice gest
ta mutos reddit. Addit nepitã he
bam in apum aluеariis pŏsitam, fa
cere vt illinc non fugiant, quin p
tiùs maiori examine cumulentu

Ne subterraneæ pestes adult
segetes radicibus subsectis enecé
remedio est aquæ mixtus succ
herbæ quam rustici sedum appe
lant: nam hoc medicamine semi
vna nocte macerata iaciuntur: au
tor Columella.

Aduersus tonitrua quibus vit
antur gallinarum oua, pullíque s
miformes interimuntur, antequa
toti partibus suis conformentu

plurimi infra cubilium ſtramenta, graminis aliquid ſubiiciunt: & ramulos lauri, nec minùs allij capita, cum clauis ferreis: autor idẽ Colu.

Gallinacei Galli aliter caſtrãtur quàm exectis teſtibus, hoc eſt libido ab illis remouetur: calcaribus nimirum ferro candẽte inuſtis: quæ cum ignea vi conſumpta ſunt, facta vlcera dum conſaneſcant, figulari creta linuntur. Præterea, incubãdi adimitur cupiditas gallinis. pinnula per nares traiecta, autor Colum.

Si cocto Leporis cerebro infantulorum, qui dentire incipiunt, gingiuas blandè tractaueris & inunxeris, efficies vt abſque labore & dolore dentes emittant. Addo quòd annulus ex recente mirthi virgula concinnatus, & annulari digito im

positus, apostemata quæ sub axilla oboriũtur, sedat & cõpescit. Et pes dexter testudinis, sup dextro pede podagrici suspensus, aut eidem alligatus, morbum leuat, aut dolorem lenit: sic sinister sinistro appensus: & manus manui, digitus digito.

Campas fertur euincere & fugare qui fusticulos allij sine capitibus per omne horti spatium cõburens, nidorem locis pluribus excitarit: nasci quoque prohibentur, si circa arborum, vel vitium crura, bitumen & sulphur incendas: autor Palladius.

Flos herbæ anemones nunquam aut rarò se aperit, nisi flante vento. Vnde quibusdam herba venti dicitur. Et serpentes in trifolio nunquã reperiri, autor est Plinius: pro-

pterea eius grana viginti ex vino aut poſca bibita, à ſcorpione læſis, aut ſerpentibus auxiliari tradit.

Admiſſarius aſinus, aut equus, aut animal quoduis aliud, quo pallio inſternetur, eius colore ſobolem generabit: autor eſt Abſyrtus Græcus, in Geoponicis. Addo ex Democrito quòd boues arando non laſſabuntur, ſi oleo & therebintina ſimul coctis, illorum cornua obleueris.

Ad boues non accedent œſtri, ſeu tabani, qui illos ad inſaniam ſolent adigere, ſi locum in quo paſcuntur aqua decoctionis baccarum lauri contuſarum, aſperſeris. Qui ſi puncti ab his fuerint, ceruſſam ex aqua ipſis illinito: autor Sotiõ in Georgicis. Sed & Africanus tradit, eos à muſcis nõ infeſtandos

(vti nec equos vel canes) ſi lauri fructum tenuiſsimè tritum, & ex oleo coctum illis illeueris, vel ſalia ipſorum eos inunxeris.

Succinum meridiem verſus con ſtitutum, paleas ad ſe allicit, vt ma gnes ad ſeptentrionẽ ferrũ. Quòd ſi diu & multùm ſuccinum ipſum triueris, & cõtra ignem lampadis, illo ſtante medio, inſufflaueris, ignis illico concipietur, qui nihil admotum comburet.

Si auro liqueſcenti gallinarum membra miſceantur, illud in ſe cõ-ſumunt & euocant: ita hoc vene-num auri eſt. Et lapis ſpongiæ pue ri collo appenſus, tuſsim ſedat. Quòd ſi ſpongia ipſa in vinum mit tatur, aquã exhaurire ac imbibere fertur, ſi quę in illo fuerit.

Quidã oua magna ſibi generari

cupientes, rubricam diſſolutã cibo gallinarũ admiſcẽt. Cæterum non abortiet Gallina, ſi albumen oui aſſatum, & vuę paſſę ædulis toſtæ tantundem ſimul triueris, ac ante alium cibum appoſueris: autores Leontius & Pamphilus in Græcorum Geopon.

Odoratas facies cinaras, ſi ſemen ipſarum in roſarum, aut liliorum, aut lauri, aut aliquo alio ſucco per triduum maceratum, ſic terræ mãdaueris. Naſcentur præterea ſine ſpinis, ſi ſemina in tenues particulas radicis lactucæ decorticatæ occultaueris, ac ita plantaueris. Sed de his alibi fusè & accuratè à nobis ſcribetur, ſi deus hos nobis iuueniles proroget annos.

Erucas hortorum enecari ſcribit Democritus in lib. περὶ τῶν ἀνὺ=

πάθῶν, ſi mulier quæ in menſtruis eſt, ſolutis crinibus, nudo pede, vnico tantùm palliolo induta, & nihil omnino prætereà habens, neque perizomate vllo circa pudenda velata, neque vlla alia re tecta. vnam quamque aream horti ter circumeat: poſt hoc decidere omnes erucas & vermiculos, atque ita emori: autores ſunt dictus Democritus in Grecorum Geopon. Columella libro vndecimo, cap. tertio: & lib. decimo, circa medium. Palladius item libro primo, capite trigeſimoquinto, & Plin. lib. 28. cap. 7. qui non ſolùm erucas, ſed & vermiculos, ſcarabeóſq; & noxia alia animalia hac arte etiã decidere, & à Metrodoro Sceptio in Cappadocia ob multitudinẽ Cantharidũ inuentum eſſe tradit. Sed ca-

uendum(inquit)ne id oriente Sole faciant mulieres, nã ita arefceret fementis. Sed pro fecundo libello arcanorum Naturæ. Hæc fatis fint. Tertium itaque aggredi fatago: in quo & pulchra & vtilia tibi, afpirãte Deo, proponam.

Finis fecundi libelli Arcanorum Naturæ, autore Antonio Mizaldo Monluciano.

ANTONII MIZALDI MONluciani, de Abditis Naturæ Arcanis Liber tertius: nunc primùm visus, & præcedentibus opportunè sociatus.



ORNATISSIMO VIRO PETRO MINARDO, in Parisiensi Senatu Consiliario docto & integro, ANTONIVS MIZALDVS S. P. D.



RISCI illi, spectatissime Minarde, qui rerum naturas intus (quod aiunt) & in cute, etiam ad minima usque & abiectissima sedulò scrutati sunt, inter multa (admirãda sanè) quæ de Apicula volucri omnibus no-

tißima ſcripſerunt, eius induſtriam, ſtudium, laborem ac diligentiam in ſeligenda & conquirenda mellis materia, ſummis laudibus aptè & appoſitè extuliſſe mihi ſemper ſunt viſi. Nec temere mea quidẽ ſentẽtia. Nam vbi primùm animalculum hoc quadam naturæ ſagacitate præſentiſcit Floram vniuerſitatẽ mũdi vaſtißimam agratim omnigenis floſculis, ceu gẽmis quibuſdam decorare & illuſtrare, illico è ſuis latibulis euolans (latitat enim à Vergiliarum occaſu vſque ad earum exortum, quòd frigoris impatiens habeat corpuſculum) floreta omnia paßim luſtrat, odo-

ratur ac peruolitat: Vt in suum-mellificium ex iis seligat, quæ aptiora & magis idonea videbit: flosculos tam suaues quàm insuaues, salubres quàm insalubres & dulces quàm amaros salutans ac degustans. Sed ab iis tamen abstinens, qui noxij sunt ac pestilentes: magno certè & inenarrabili naturæ miraculo. Verumenimuerò, quorsum hæc, inquies? nimirum vt intelligas me iaminde ex quo audiui, legi & hisce oculis obseruaui animalculi huius tam sedulam diligentiam, & pene dixerim incomparabilem prudentiam, non cõquieuisse donec illius exemplum, pro mea tenuitate, in

rem conferrem. Itaque ubi primùm ſine cortice (quod dicunt) natare potui, hoc eſt, ubi Grammaticis & Rhetoricis nunciato Vale, ad Philoſophos, Medicos ac Mathematicos me cõtuli, & per illorum hortulos, ſyluulas, prata, vineta, plãtaria & floreta planè labyrinthæa, abſque Dædalo, aut Theſeo aliquo mihi inambulare licuit: ſtatim ex his nocturna manu ac diurna floſculos non quoſuis Apiculæ exemplo, ſed ſuaues, & omißis pernicioſis, præſtantes ac frugiferos decerpere ſemper ſategi. Qui mihi primùm, deinde amicis meis, & poſtremò Reipublicæ vſui eſſent ac prodeſſent.

rei teſtimonium qualecumque toto iam exacto decennio & ampliùs, non omnino infeliciter, Dei gratia, palam exhibuimus: ſumúſque in poſterum exhibituri, niſi fortuna nobis alioquin infenſa, odioſiùs reflauerit. Hinc ſcilicet prodierunt iſti Arcanorum Naturæ Libelli quatuor. Quorum tertius nunquam antea viſus ac editus, vti etiam quartus, tibi ex animo deuouetur, nuncupatur & inſcribitur: quòd illo, de multis, mihi dignus viſus ſis: ob raram ac reconditam eruditionem, & ſingularem beneuolentiam qua erga me vteris. Vt interim taceam innumera beneficia quibus

prudentißimus Præses parẽs tuus me quotidie adobruit. Bene ac feliciter vale. Lutetiæ Parisiorum, Idibus Octobris.

1558.



ANT. MIZALDI MONLVCIANI, DE abditis Naturæ Arcanis Liber Tertius, antea nunquam editus.



LEO licet omnium animalium generosissimum sit ac ferocissimum, ignes tamẽ vsqueadeo expauescit & reformidat, vt nulla re alia faciliùs domari credatur. Timet etiam mirandum in modum rotarum tumultus, &

Gallorum cantus, quemadmodum nos alibi ſcripſimus: conculcatíſque Ilicis foliis inſigniter obſtupeſcit, & ad curſum ineptiſsimus euadit: occulta quadam & arcana antipathia. Porrò hũc apertis dormire oculis, ſacrę Ægyptiorum literæ nos admonẽt. Idcirco nõ Ægyptiis ſolùm, ſed & Chriſtianis, olim vigilãtiæ fuit typus & imago percelebris: Vnde non immeritò pro foribus templorum, Leonum marmorea ſigna, lapideáue aut lignea appoſita plærũque videmus. Quibus ſignificatur, Epiſcopos & Parochos vigilare debere ſuper gregem ſuum. Quod vnum etiam indicat gallinaceus Gallus campanilium pyramidibus impoſitus. Sed hæc extra inſtitutum.

Ad podagras, Peoniæ maſculæ

prægrandẽ radicem, plenilunij die collectam, collóque appẽsam, vtilissimam esse in quodam amico expertus est Hieronymus Cardanus: quemadmodum adnotauit lib. 18. de Subtilitate.

Cicadæ vmbram Oliuæ de omnibus diligunt: & testudo absciso capite per diem integrum viuit: nec vllum aliud animal tandiu. Autor Aristoteles.

Plinius scribit pilum Vituli marini in corio cinguli, aut alteri⁹ ornamenti, attolli crescente mari, remitti verò decrescente. Libro 9.

Theophrastus refert mures fœminas in Perside, etiam in matris vtero cõcipere. Quod omnino absurdum non est: nã vilissima quæque facillimè generantur & celerrimè absoluuntur.

Qui noui orbis hiſtoriam contexunt, narrant in Arotan flumine beatiſsimę inſulæ Zeilam nuncupatæ, piſcium genus eſſe quod manu prehenſum febrem accendat ilico. Res ſanè nihilo plus miranda, quàm ea quę de torpedine & remora circunferri ſolet.

Polypos paruulos ſuper prunas aſſatos ad concipiendũ dabat Hippocrates. Nec omittes quòd Paſtinacæ aculeus dolorem dentiũ tollit, ſi ex eo gingiua confricetur & vulneretur blandiuſculè.

Ferrum molleſcere ſcribit Cardanus, ſi ſucco corticum fabæ aut maluæ candens ſæpenumero extinguatur, & aquam non cõtingat. Lib. 6. de Subtilitate.

Flatu auerſo fructum Rubicanis legendum præcipiũt: nam pericli-

tantur oculi illius qui aliter legerit. Autor Albertus.

Veniunt piſces ad lac, capiuntúrque aſſatorum odore: pręcipuè Sepiarum & Polyporum. Intereunt odore cupri atque ſulphuris, ſi illũ exhauriant.

Si quis, vt teſtatur Democritus, Cerui caudam vſtam & tritã cum vino aliquantulum tepido teſtibus ac peni illinat, Veneris titillationes intenſiores experietur. Quod generationis, non voluptatis cauſa dictum ſcriptúmque velim. Soluetur autem hic impetus iniunctione olei roſacei, aut decocto lactis & roſarum.

Nodi plantæ Lilij ſub camino ſuſpenſi abſque foliis, & ibi reſiccati, ſi fece rubentis vini obruantur, & cum ea in ſimo

ſepeliãtur, flores edent purpureos. AutorHieronymus Cardanus.lib. 8.de Subtilitate.

Succus Limunij colorem mutans in coriis alterna varietate, commẽdatur. Et Lilio tanta eſt viuacitas vt ſurculi eius ſuſpenſi radicem mittant.

Narrat Ioſephus Quercum Abrahæ ſua adhuc ætate manſiſſe. Sunt autem inter excidium Hieroſolimitanum & ſomnium Abrahę, anni plus minùs bis mille: Ex quo arboris huius viuacitas facilè colligitur.

Senectutem arborum longam oſtendit magnitudo, radiciúmque amplitudo. Eſt autem vitæ diuturnioris cauſa fructus paucitas, ſterilitas, vel ſolida ligni ſubſtãtia. Vnde quercum lignum ab aqüa non

facilè corrumpitur, licet ab ea non parum denigretur.

Centipeda, animal ad ſimilitudinem quinqueremis oblongum, per cellas vinarias repens, ſi in puluerem redigatur, mirificè ſoluit lotij difficultates. Alibi fortaſſe à nobis adnotatum.

Refert Aëti⁹ quòd ſi Catuli coagulum ex aceto ſemel tantùm ederint hydrophobici, ſtatim eos capiet aquæ potus cupiditas, bibéntque: ob id medicamẽtum illud miris laudibus extulit.

Murium iecuſculis fibræ ad numerum Lunæ in menſe congruere dicũtur: totidémque inueniri quotum lumen eius fuerit: adhæc Bruma increſcere. Autor Plinius libro vndecimo.

Aurum libenter hydrargirũ am-

plectitur, & ſuccinum paleas: necnō magnes ferrū. Addo quòd teſtudo ſola inter ouiparas habet veſicā.

Eſt apud Ciceronem ephemerū animal quaternis pedibus & totidem alis iuxta Hippanin Boſphori fluuium naſcens: vitam ab aurora ad veſperam (vnde illi nomen) ducens. Manè puer, meridie iuuenis, ſenex veſperi: occidente Sole cōmoritur: videt, audit, volat, ambulat.

Dextri pedis pollex vinculis exceptus & arctè conſtrictus, Aëtio vim habet vt ſanguinis fluor è naribus compeſcatur. Et ſpongia acri aceto imbuta, & in medio cubiculi ſuſpenſa, culices arcet ne cubiculum ingrediantur.

Mirum quòd Anagallidem fœminam (quæ flore cœruleo naſci-

ur) pecora ſummè deuitant: quam
i fortaſſe deguſtauerint, decepta
llius ſimilitudine (nam flore tan-
tùm diſtant mas & fœmina) ſtatim
plantam eam in remedio quęrunt,
quæ Aſyla vocatur: à Romanis fe-
rus oculus. Autor Ruellius libro
vndecimo.

Ex Lampyridibus in vaſe putre-
ſcentibus aqua vel potiùs liquor
extrahitur, qui mirè in tenebris lu-
cet ac ſplendeſcit: Quo etiam lo-
co admonere ocioſum non fuerit
leonis oſſa ſimul colliſa ignem,
vt pyrij lapides, excutere. Quod
à nobis alibi ſcriptum fuiſſe arbi-
tror.

Quemadmodum Equi maximè
formidant Elephantos, ita hi A-
prorum vocem, cane peius & an-
gue oderunt, quibus etiam ſummę

intercedunt inimicitiæ cum Rhinocerote, ſeu indico Tauro.

Zibethũ animal felę paulò maius genitalibus folliculum circunfert, ex quo ſemen ceu butiroſus liquor cochleari excipitur, iucundiſsima odoris fragrantia. Sic & Moſchus animal aliud Capreolo ſimile, intra vmbilicum veſicã habet, quæ ſanguine impletur odoratiſsimo. Autor Hieronymus Cardanus.

Aſtuarium ex arboris Larycis ligno concalefactum leproſos ſanat, & phtyſicis non parum confert. Addo quòd aqua deſtillationis eius, etiam vtrunque morbum egregiè iuuat.

Antonius Ludouicus Vliſsipponenſis, medicus celebris, tradit lãpetras peſtis tempore frequenter comeſtas, innata vi contra tam di-

am luem admodum efficaces ſſe.

Mirandum eſt valde quod Æ- anus prodit, incluſo hippomane ı ærea vel lignea ſtatua ad Equæ ffigiem fabrefacta, tanto furoris ıcendio Equos incitari, vt ad eam requentes hinniant: non propter ormam, ſed ob veneficium ab ar- ifice incluſum.

Cinerem Ranę maioris in ſaccu- o ſecum portet mulier, & nihil ſan guinis emittet. Id ſi vis probare, li- ga ad collum Gallinæ, quam poſt vnam aut alteram diem interfice, videbis ex ea ſanguinem non ex- tillare.

Pluuias coruſcante fulgetro cœ- lo demiſſas non frugum modò ſed fungorum quoq; & tuberum eſſe altrices agricolæ prædicant. Sed id

ſuperiùs adnotatum.

Xyphios piſces aiunt Græculo ſermone ſummè delectari, & ad gręciſſantes gregatim occurrere, Italicáſque voces penitus abhorrere.

Betulę caudex terebro perforatus, ingentem aquę copiam reddit: cui vim maximam ineſſe aſſerunt ad cõminuendos tam renum quàm veſicæ calculos, ſi diutius bibatur.

Inter omnes conuenit (inquit Plinius) quòd ſi aqua potúſue reformidetur à morſu rabidi canis, ſuppoſita tantùm calici lacinia mẽſtruo intincta, metum eum diſcutit: præualente ſcilicet illa Græcorum ſympathia: nã canum rabiem huius ſanguinis guſtatu incipere diximus alibi. Plinius Libro vige-

mo octauo.

Scabiosæ ſuccus peſtiferis carbunculis vtiliter illinitur, eorúmque abſceſſus lethales trium horarum ſpacio, quodam miraculo bolere traditur.

Toleti macello publico, vnam nuſcam nec ampliùs, toto anno videri ſcribit Leo Baptiſta Albertus: Ad quæ accedet, quòd ex Pſittais qui in pedibus quinos habent vncatos digitulos, ad ſermonem aptiores eſſe cenſentur.

Dato (inquit Orpheus) ſanguinem expuētibus ſucci Saluiæ cyathos duos ieiunus ieiunis cum melle bibendos, & ſanguis ilico cohibebitur.

Si in aquæ ſitulam virentes iuglandium cortices contuſos immiſeris, & aqua illa terram perfude-

ris ac madefeceris, videbis lumbricorum ingentem copiam hinc prosilire & emergere.

Proprium materiæ Smilacis est, vt auribus admota leuem sonum edat. Quin & Hederæ mira proditur natura ad expellenda vina. Si enim vas fiat ex eiusdẽ ligno, vina transfluere, & aquam, si quæ fuerit mista, remanere scripserunt M. Cato, & Plin. quemadmodum nos lib. 1. adnotauimus.

Refert Aristoteles quo anno Rubetæ abundauerint, pestem significari. Nec eo loco arbitror omittendum quòd dentes dolentes, ossibus coxarum Rubetæ contacti, antipathia quadam iuuari ac leuari dicuntur.

Tradunt fides è corio Anguillarum

rum factas, audientes ad saltationẽ (siquando pulsentur) inclinare & allicere. Adhæc Anguillam ipsam, præsertim quæ magna sit, in sinu detentam, ita hominem circũuincire, vt nonnunquam suffocet: autor Hier. Cardanus lib. 7. de rerum variet.

Siluri præsertim masculi edita à coniuge oua, diebus 50 adeo intẽtè custodiunt, vt à piscatoribus capi malint, quàm illa deserere. Idem ibidem.

Albertus autor est ex pilis equinæ caudę in aquam stagnantẽ proiectis, post aliquot menses vermes prælongos gigni. Quod se vidisse testatur: addítque illos ipsos vermes in vtramque partẽ, quasi duo habeant capita, absque vllo discrimine moueri.

Narrant Vrſos vbi primũ è late-bra exierint deuorare Arum, vt contracta ob inediam eorum inteſtina, abſque noxa diſtendantur.

Teſtudines lutariæ edita oua, ſcrobe effoſſa condunt: redeúntque poſt 30 dies, ac foetus editos ad aquas ducũt. Autor Cardanus.

Ferunt carnes Thynnorum ſalitas hæmorrhoidas inducere, vt Congrorum elephantiaſim: maximè ſi frequẽter edantur. Præterea Scinci carnẽ adeo potẽter Venerẽ ſopitã excitare, vt nihil meliùs.

Rubeta diſciſſa & renib9 ſuperpoſita vrinam vehementer proritat: atque adeo, vt nonnunquam aſcitici hoc medicamento liberati fuerint.

Cor piſcis cui Salmo eſt nomen, adeo viuit, vt illud exertum im-

probi piſcatores & ſalſamentarij cadaueribus iam putreſcentium & veteraſcentium Salmonum inſerãt, vt illos adhuc viuere ex palpitatione mentiantur. Atque ita plures ſub vno, pernitioſa impoſtura, & capitali dolo venduntur.

Fumus metallorum præcipuè plumbi, mercurium ſeu viuum argentũ cogit. Et cortex punici mali ferrum mutat in chalybem. Addo ꝙ mala medica in æſtuariis optimè ac innocenter ſeruari ſolẽt. autor Card. lib. 10. de rerum variet.

Vitrũ molleſcit plũbo in calcẽ redacto. Idẽ fit tenax & durũ diuturna coctione. Ad quę accedet quòd inſigniter odorata omnia ſerpẽtes hebetãt, vt allia, cepę & ſimilia.

Referũt candelá ex ſeuo humano accẽſam, delatámq; ad locũ vbi

thesauri latēt reconditi, strepitu ac stridore illos detegere. Adhæc dū proxima fuerit aut supersteterit ex tingui. Quod si verum est, ex sympathia contingit. Autor Cardanus lib. 16. de rerum variet.

De Cane hoc memorabile tradunt, vt in eum non latret qui Mustelæ caudam secum gerat, modò viuam dimittat mustelam, quemadmodum scribit Aelianus. Quo loco non omittendum, quòd qui Cani morituro obsequium præstiterit, plurimùm spleneticus fiet ex antiquorum obseruatione, sicuti nos antea scripsimus.

Lytta vermiculus in lingua Canum nascens nisi exemptus fuerit in catulis recenter editis, rabiē aut fastidium aliquod sentient in vita.

Ligna alumine oblita non ar-

dere docuit experientia Archelai Regis, quemadmodum Quint. Quadrigarius vetuſtiſsimus hyſtoriographus ſcripſit.

Si quis fugiendò, obliquè currat, à Crocodilo non aſſequitur: nec perſequendò aliàs euadere facillimum eſt.

Dentes equi maſculi ſeu collo appendantur, ſeu brachio ſiniſtro alligentur, eos qui mala ſomnia videre ſolent plurimùm iuuant. Cardanus lib. 18.

Teſtudinem Simia quadam antipathia, mirum in modũ horret. Et coria vetera quæ veteramentorum ſunt, ad calceamentorum attritiones, eadem antipathia accommodari poſſunt. Autores ſunt Dioſcorides, Galenus, & medicorum filij plærique omnes.

Pulices fugari tradũt decocto tribuli marini ſparſo per pauimẽtum ędium: meliùs fiet colocyntidis vel oleandri decocto. Sed & eoſdem ad Erinacei pinguedinem congregari aiunt: quod à nobis ſuperiùs adnotatum puto.

Lectularios cimices ferunt expelli ac abigi, ſi Ebulus viridis apicibus ſpondarũ lecti apponatur. Idẽ fieri etiam affirmant ſi filix adhuc virens per lecti margines adhibeatur. Imò vero cimices ipſos aiunt ceu incantatos ibidem detineri & ob id ſtupeſcere. Sed præſentaneũ remediũ aduerſus illorũ moleſtiã & iniuriã eſſe tradunt decocto cucumeris anguinini limites lectulorum illinere. Res à multis experta.

Animalia digitos habentia, cœcos fœtus parere tradunt: adhæc

ſtyracem ſuo ſuffitu omnia ferme inſecta animalia expellere. Quo loco non omittam, quòd animalia quæ ſiccũ ſtercus excernunt, illud odoratum habent, cuiuſmodi ſunt angues, lacertæ, &c.

Ruta vel Chelidonia albo aceto pauco excepta & calefacta, fumũ exhalat qui ſi vaſe vitreo frigido & ſuperpoſito guttatim colligatur, vtilis eſt ad oculorum morbos & vitia. Autor Arn. Villan.

Tradunt omnia Phalangiorum genera in Appulia tantùm incolis infeſta eſſe: aduenas nullo modo lædere, imò verò illa citra noxã vllam ibi tractare. Curãtur percuſsi, ſaltu, cantu & coloribus.

Autores ſunt Dioſcorides & Theophraſt⁹ radicẽ Altheæ in fruſta cõciſam & in aqua infuſam per

noctem, aquam eam ſub Dio ad
denſare & quaſi congelare.

Cortex mali Arantij preſſus c
tra vitreum calicem, ſuccum iacu-
latur qui vitrum ſtatim penetrar
videtur. Digito mador deprehen-
ditur, & infuſus humor, qualis qua
lis fuerit, ſuccum eum, vel potiùs
corticem redolet. Experientia eſt
facilis

Oleum lixiuio mixtum tranſit in
lactis ſpeciem ſi diu agitetur. Ad-
do, quod quæ ſub terra ſeruanda
ſunt, plumbo aut marmore, aut
figulinis vaſis imponi debent.

Anſerũ teſtes ſi ceſſantibus mẽ-
ſtruis à muliere edantĩ ilico, nõ ſo-
lùm ad excitandam libidinem con
ferre dicuntur, ſed etiam ad pro-
creandam ſobolem. Idem effici à
Leporis vtero, à nobis alibi ſcri-

ptum eſt, ex veterum ſententia & teſtimonio.

Narrãt nonnulli, panis fruſtum in aquam proiectum, è directo cadaueris humani conquieſcere, ſi ſub aqua lateat. Autor Hiero. Cardanus lib.16. de rerum varie. Quod an verum ſit, experieris.

Semen Plãtaginis in aqua excoctum atque expreſſum, ſi per noctem in frigido loco reponatur, ius concretum reddit vt gelu. Quod vnum Plãtaginis gelatinam ritè nominaueris. Idẽ autor lib. 13. Quod paruum eſt & leue.

Scribũt Nicolaus, & Gulielmus Varignana medici celebres, adhæc Petrus Argelata Chirurgus inſignis, quòd ſi ſponſus per nuptialem annulum meïat, à Veneris impotentia & faſcino ſoluitur.

Eſt Magnetis quoddam genu argentum trahens, quo ſi tenuis e argento virgula infecta fuerit au tacta, vbi verſatilis cõſtiterit, ad argentũ (licet ſepultũ) conuertetur modò ibi fuerit, & optimus habe tur magnes. Card. autor, lib. 16. Sec rei huius fides erit penes autorem.

Narrãt ſanguinẽ à ſuo ſero mũ-datũ & in Sole reſiccatum ac tri-tum, antipathia quadam fluentem ſanguinem coercere & ſiſtere, ſi ſparſum aut iniectũ fuerit. Quod tu experiundo facilè probabis.

Tradit Hermodorus Põticus vul turem omnium animaliũ innocẽ-tiſsimam eſſe: quòd nihil attingat eorum quæ ſerunt & plantant ho-mines: nihílque interimat, ac vo-lucribus mortuis abſtineat.

Othis auis viſo procùl Equo, vel

audito, ſympathia quadã agitatur ac longè euolat. Quibus addes, ꝙ Lupi pudendum in puluerem redactum, ſepultam venerem, miraculo quodam, ſuſcitare legitur.

Ferunt Equos in furorẽ agi ſi eorum nares Laſere illinantur: perinde atq; homines. Verùm noſtrũ Laſer imbecillius eſt, quã id verè efficere poſsit, ac prȩſtare: quemadmodum experientia mihi fidem fecit.

Radix Peoniæ ſolaris herbæ, eruta Sole Leonẽ tenente, die & hora Solis, adhæc creſcente lumine Luna, portantem ab Epilepſia liberat. Autores Marſil. Fic. & Gaud. Mer.

Aelianus ſcripſit Aſinos non rudere, ſi quis lapidem illis ad caudas ſuſpenderit: Quorum

auriculæ per magnum æſtum ſudãtes, intra duas horas, aut ad ſummum quatuor, pluuiam, nuntiare nos docuit quotidiana ruſticorum obſeruatio & relatio.

Iuxta Cranonem Theſſaliæ vrbem (de qua apud noſtrum Hippocratem in lib. Epidemiωn) fons emergit, cuius aqua vino impoſita, triduo calorem ſeruat. Nec omittes quòd in dicta vrbe nunquã cor ui plures duobus viſi ſunt.

Anaxilaus autor eſt atramento Sepiæ tantam vim ineſſe, vt eo in lucernis addito, cæteris luminibus ablatis, aſtantes nigros & Aethiopas videri faciat.

Apud Grationopolin fõs eſt qui quanquam calidas aquas non habeat, tamen cum ipſis aquis flammas identidem euomit: duobus

eodem loco & tempore ſimul manentibus inter ſe contrariis elementis. Sed de aquarum miraculis in noſtra Planetologia plura leges.

Scribit Lucianus in cauda Galli gallinacei duas eſſe pennas longiores & incuruas, quarum ſi quis dextram euulſam ſecum ferat, à nemine conſpicietur: pateſcéntque ei quæque clauſa. Sed rei huius fides erit penes ſuum autorem, vanum alioquin ac ſuſpectum.

De omnibus volucribus Columbarum collegium maximè fœcundum eſſe ſolet. Nam in omnibus 40 diebus, Columba pregnãs eſt, parit, fouet, incubat & enutrit: tãtùm ceſſans ab hyberno Solſtitio, ad vernum vſque Aequinoctium.

Ferunt Ocymum prima Luna

tritum, & in nouam ollam indi-tũ ſub plenilunio, ab altero capite flores emittere. Quod ſi duplicato tempore ſub terra defodiatur, ſtriſiones generabit: vel vt alij volunt ſcorpiones. Autor. Cardan. lib. 2. de rerum variet.

Butyrum, Argilla, & oui candidum liquoribus immixta & incocta, ſorditiem omnem ad ſe trahũt. Et Iaſpis in feruentem aquam miſſus, efficit vt oſſa quæ in ea bulliunt, emolliantur. Idem autor.

Refert Dioſcorides radicẽ primi generis Centaurij, Rhaponticum vocant, carnes in lebete aut olla iungere dum coquuntur: tradítque Varro ex raparum antiquo ſemine caules prodire: & rurſum ex caulium ſemine rapas. Sed hoc repetitum ex ſuperioribus arbitror.

Triorchis Accipitris genus adeo Triorchin herbam (quæ Centaurij genus est) appetit & adamat, vt eos qui effoderint referat Plinius ab aue ea peti & vellicari. Nec omittam quòd Saluiæ vmbra mirè delectantur Bufones ac serpentes. Adhæc, quòd arundineta erucas, culices & formicas de omnibus alunt maximè ac fouent.

Volaterranus scribit Ægyptium linum tot fibris & filis numero cõstare, quot sunt dies anni: nimirum 365. Tradit insuper apud Benacum lacum Abietis genus esse, ex quo vasa facta & concinnata, vinum remittant.

Cor Vulturis circa cor ligatum omnem fluxum sanguinis stringit. Et capillus Veneris cum æsta-

te vireat, hyeme non tabeſcit: qui etiam aqua multa ſuperfuſa non madeſcit. Quod me ſuperiùs adnotauiſſe arbitror.

Succinum ſeu Electrum (Karabe vulgò nuncupatum) fluxiones ſiſtit, ſi collo appendatur. Quod vnum Germani intelligentes, in oculorũ defluxionibus ſuccineos globulos occipitio adnectere ſolẽt Autor Andr. Mathiolus in Dioſ.

Theophraſtus Peripateticus ſcribit in Paphlagonia Perdices omnes bina corda habere: tradítque Horus Apollo mares admirandæ ſalacitatis eſſe: nam fœminis extinctis inuicem coëunt.

Octauianus Horatianus lib. 4 de phyſicis experimentis, tradit fabæ florentis ſummitates lectas & tritas, vaſique terreo mãdatas, poſt

dies

dies 80 in caput infantis cruentum conformari: anteà verò muliebre corpus mentiri. Experientia rem eam, alioquin dubiam, facilè probabit.

Intra mœnia Bizantij(quę hodie eſt Conſtantinopolis)Graculos nõ aduolare mihi nuntiarunt multi: adhæc ſerpentes ibi innocuos eſſe. Quod Magorum arte factum fuiſſe aiunt.

Ægyptij Columbas adeo puras arbitrabantur, vt oborta peſte, illarum eſu correptis & infectis miraculo quodam opitularentur, eóſq; ab hac contagione incolumes ſeruarent. Sed nigrarum mira eſt natura, nam maribus vita functis ad ſecunda carnis deſideria nullis illecebris adduci poſſunt. Quæ etiam beneuolẽtia maribus ineſt erga de-

functas fœminas.

Murena ſi vnica duntaxat plaga flagelletur loco non ſe mouet, ceu mortua. Si verò ſecundò & tertiò feriatur, verberáque accipiat, vires reſumit: fertúrq; vitalem ſpiritum in cauda geſtare: vnde ea exciſa ſtatim expirat.

Vt arma & inſtrumẽta queq; ferrea, aut chalybea ſplẽdida maneãt, & ab ærugine ſeu ferrugine vindicẽtur, aceto alumini mixto illinãtur aut cerusa, aut cerui medulla: nam hęc oleo præſtãtiora videntur. Sed omnium prestantiſsimum fuerit ac vtiliſsimum, ſi plumbi ſcobem tenuiſsimum in plumbeo mortario, aut ferreo diu ſubegeris, addito oleo pauco de ſpica (quod vltra conceptum ſcopum ad odoris gratiam plurimùm faciet) eóque veluti li-

nimento ferrum aut chalybem illeueris. Nam eo modo, etiam per aquas & vaporoſum aërem, arma, ac bellica torméta ab omni rubiginis aut ferruginis labe immunia ſeruabis ac portabis.

Surculi ex corallio infantulorum collò alligati, vim habere creduntur contra excatamenta, & faſcinationes: perinde atque eorũ puluis epotus aduerſus tormina & veſicæ mala, necnon ſanguinis excretionem. Autores Q. Serenus, Aëtius, & alij.

In capite Cancrorum reperitur lapillus figura planus, qui acerrimo aceto infuſus motum manifeſtum habere deprehenditur. Quod nos antea adnotauimus.

Qui viticis ſeu Agni caſti virgam manu tenuerit dum iter facit, laſsi-

tudinem aut intertriginem ſentire non poterit. Autor Gandent. Merula lib.4 Memorabilium.

Aquam ſalitam oui candido cogi referunt nonnulli: & Hirundinum oua oleo illita cum 15 diebus incubauerit Hirundo, pullos edere albos: qui tamẽ temporis proceſſu nigreſcunt. An de aliis volucribus idem fieri poſsit, tu experiũdo cõdiſces. De obſeruatione tamen id dicam, Pauones albos fieri ſi locus in quo illorum oua incubantur can didis lintheis circuntendatur.

Pentaphyllum Iouiali poteſtate venenis reſiſtit: cuius folium vnũ, bis quotidie, manè ſcilicet & veſpe re ex vino bibitũ, ephemeram febrim curare traditur: tria tertianam: quatuor quartanam. Autor Marſilius Ficinus in lib. de tripli-

ci vita.

Squilla piſcis mulieri poſt menſium purgationẽ exhibitus, eam ad impregnationem idoneam reddit. Quemadmodũ nos ſcripto ex ſuis obſeruationibus admonuit Geruaſ. Reginaldus abditarum rerum ſtudioſiſsimus philoſophus Lemouix.

Sargus in Brunduſino æquore omnium piſcium ſuperbiſsimus, caprarum mirus dicitur eſſe amaſius. Vnde ad illas ſecundum maris littora paſcentes vltro accurrens, facilè capitur. Autor Gaudent. Merula. lib. 3. Memorab.

Aëtius autore Apollonio tradit pennas Ciconię efficere, ſi quis eas domi habeat, ne pueri ſternutent. Addo quòd ex Silere bacillos facere ſolent ruſtici, quibus à ſe vene-

ſica reptilia abigant, non abſque occulta cauſa, illis tamen incognita.

Albertus Magnus autor eſt in Gothorum tractu fontem adeo gelidum eſſe vt omnia in illum proiecta lapideſcere cogat. Cuius rei experimentum à Friderico primo factum fuiſſe ait, miſſa in illum manuum ſuarum theca: cui, ne falleretur, ſigillum proprium in cæra expreſſerat. Huius (res mira) pars dimidia fonti merſa in lapidem induruit, reliqua manente ſub corij & ceræ ſpecie, vti antè erat.

Nymphæa omnibus notiſsima eſt planta: cuius ſemen Veneris appetẽtiam mirabiliter extinguit. Folia etiam renibus impoſita inuolũtariam ſeminis effuſionem, quam gonorrhæam vocant, continent ac

mitigant. Autor Petrus de Abano, & cum eo medicorum filij plęriq;.

In ſacris Ethnicorum hædera & myrtus, vt ſcribit Diodorus Siculus, vitibus longè præferebantur: quòd hæ folia amittant, illæ continuam ſeruent viriditatem. Quo loco non omittam quòd in libris Aruſpicum lectum eſt, autore Seruio, Abietem fulmine tactam domini aut dominę interitum prędicere. Quod neſcio an alibi adnotauerim.

Sunt qui pro re certiſsima & probatiſsima mihi dixerint, demorſos à Vipera & curatos, à nullo venenatorum in poſterum attingi. Adhæc eos qui aliquando Viperę iecur toſtum & pulueratum cum vino hauſerint, nunquam poſtea à ſerpente percuti aut vulnerari.

Quæ pepererat filiũ nares & labia exæſa habentem : cum à matre cauſas ſiſcitarer (inquit Gandent. Merula) aliud nihil reſpondit quã ſe cogitare id accidiſſe puero ex plurimo mellis vſu, quo cum prægnãs pica laboraret, immodicè vſa fuerat.

Albumine oui aliquoties loricatum lignum & veſtitum vix ardet. Præterea veſtis aut pannus eo perfuſus, ægrè vritur. Addo quòd filũ ouo circundatum in igne non ardet. Res multorum experimento probata.

In Trifolio ſerpentem nũquam reperiri ſcripſit Plinius, quod nos antea adnotauiſſe puto . Sed huius grana 30 trita, & cũ vino exhibita, ictos à ſerpentibus & ſcorpiis mirificè iuuare tradũtur: vt de obſer-

uatione fidem nobis fecerunt amici arcanorum naturæ periti.

Illud in oleo eſt memorabile, quòd lanæ eo irroratæ candidiores fiunt: pili verò inuncti nigriores. Inſuper quòd vuæ eo vel leuiter tactæ, à veſpis & apibus immunes euadunt.

Salamandra gentes multas poteſt inficere ſi ſub radice arboris pomiferæ pernoctarit. In cuius ſanguine vim pſilothri ineſſe verſiculus ille oſtendit.

Euellétque pilos nec Salamandra tuos.

Mirum eſt quòd digitus magnus dextri pedis, cinere Stellionis cum oleo vel melle inunctus, latè ſufficere poteſt iis qui ætate, vel aliter mortuū fere habent penem, & rebus venereis peragendis parū ido-

nei ac inefficaces. Autores ſunt priſci illi magiſtri, rerum Naturæ indagatores ſolertiſsimi, cum pleriſque recentium.

Aurum ac argentum per medios latrones & hoſtes ſic tutò perferes. Diſſolue aqua ſeparationis Chimiſtarum: vel ſolutum vtrunq; denigra: inde aurum plumbo, argentũ pici liquefactæ immiſce, & ita occultè perferes. Autor Cardanus.

Scribunt Varro & Cato quòd ſi amurcam ad dimidium decoxeris, & ex ea fundũ, angulóſq; ac pedes arcę inũxeris, veſtes, vbi aruerit, aut res alias in ea conditas à tineis immunes ſeruabis.

Oſſa decocta cũ aqua & calce mirandum in modũ dealbantur, ſi perpetuò eam aquã deſpumaueris. Et charta pergamena trãſlucida fit, vt

vitrum, & infrangibilis, ſi ſuper leue ferrum calidiuſculũ, abietis vel larycis lachrymâ ſenſim imbuatur. Autor Cardanus. lib. 13. de rerũ variet.

Integra oua aceto peracri immerſa ita molleſcunt & tractabilia euadunt, vt in anguſtum vrceolum aut phialam cõcludi poſsint: imò verò in annuli circulũ intrudi. Quę pòſt in frigidam miſſa ita dureſcunt, vt inde extrahi nequeant: experientia facilis, quæ pro autore tibi fuerit.

Cancri fluuiales morſis à rabido cane mirificè proſunt: quod nos ſub finem primi libri adnotauimus. Sed ij poſt Canis ſideris exortum, Luna decima quarta, cùm Sol Leonem eſt ingreſſus viui in patella ſunt adurendi, & in puluerem tenuiſsimum atterendi. Cu-

ius cochlearium vnum ex aquæ cyatho propinatur, cum adhuc recens eſt morbus: augendáque quãtitas ſi inueterauerit. Eo remedio vim adeo efficacem ineſſe ſcribit Galenus, vt nullos periiſſe dicat quibus hoc in tempore exhibitum fuerit.

Torpeſcunt Scorpiones admota radice Aconiti ſtupéntq; : qui rurſum Hellebori contactu excitãtur. Eadem pantheras, lupos, ſues ac feras omnes carnibus remiſta perdit & exanimat.

Iecur Rubetæ vel cor adalligatũ & inuolutum leucophæo pãno, id eſt medio inter album & nigrum, quartanariis prodeſt, quemadmodum ſcripſit Plinius.

Magneti vim cõtrariã habet (quẽadmodum ſuperiùs adnotauimus)

Thearnedes lapis in Æthiopię mõtibus naſcẽs, non procul à Magnetis monte: quippe quòd appoſitum ſibi ferrũ cõfeſtim abigat, reſpuátque. Quô fit, vt qui calceis ferreis per montẽ illũ pergunt, pedes ſubmouere nequeant: per alium verò ambulãtes, nunquam pedibus cõſiſtãt, et veluti tripudiãtes fiãt. Aut. Plin. Andreas Mathiolus, & alij.

Clauum ferreum defigere in quo loco comitiali morbo corruens caput demiſerit, abſolutorium eſſe mali illius, autor eſt Plin. Qui etiã tradit fœminas ſalſiorib⁹ cibis vſas, fœtũ vnguiculis carẽtẽ plerũq; gignere. Præterea mortem non eſſe timendam in ægritudine, quandiu oculorũ pupillæ imaginem reddẽt.

Qui ſumunt Turpetum medicamentum hydropicis, elephantiacis

&hyſpanica lue infectis ſummè vtĩ le, cauere debẽt à piſciũ eſu, & auſtrali flatu, vt autor eſt Andr. Mathiolus Commẽt. in 4. Dioſcor. Ex quo addo puluerẽ Calthę, dẽtiũ cauis immiſsũ, illorũ dolores leuare.

Teſtudinum oua quanquam diu elixentur, nunquam tamen eorum albumen cõcreſcit: licet vitellus ad modum dureſcat.

Vermiculi qui in capitulis Dipſaci medullitus diſſectis reperiuntur, incluſi folliculo, & alligati collo, vel brachio, in remedium quartanę vtiliter ferri ſolent.

Illud peculiare ſibi vendicauere maiores Gallæ quas glãdiferæ arbores pariunt, vt quotannis aut annonæ ſterilitatem, aut fertilitatem, aut peſtilentem aurã prænuntient. Nam ſi rumpantur integræ & quæ

perforatæ non ſunt, aut muſculam, aut araneolam, aut vermiculum palam deponent. Si muſcula volat, futuri belli eſt præſagiũ: ſi repit vermiculus, annonæ penuriæ: ſi currit araneola, peſtilentium morborum. Cuius rei haud ignara priſca illa gẽs mortaliũ, non ſine cauſa quercum ſummo deorum Ioui ſacrauit ac dicauit: nã ſingularia hęc tria pręſagia, vna ſola Quercus de omnibꝰ arboribus agnoſcit. Sanè licèt præſagium hoc ex agris & ruſticorum Aſtrologia natũ ſit, habet nihilominus ſua experimenta multorum ſeculorũ obſeruationibus hactenus confirmata.

Tanta muſicis tibiis, cæteríſq; id genus inſtrumẽtis facultas ineſt aduerſus Tarãtulę venenũ, vt lãguẽtes etiã inuitos, non modò ad choreas

& ſaltationes alliciat, ſed etiã curet.

Lyſimachia diſcordantibus iumẽtis impoſita iugo, aſperitatem illorum cohibet, vt autor eſt Plin. Addo quòd qui ex croco paſſum biberit, crapulam non ſentiet, quemadmodum adnotauit Dioſcorides.

Scriptum eſt quòd vbi turberculà naſcuntur, ibi nullæ niues reperiuntur. Et proprium eſt Scorpionum quòd manus palmam non feriant. Autor Plinius.

Lapillus qualiſcũque, vt ille idem Plin. ſcribit, ab ea parte qua in terra erat, plagæ appoſitus, eius dolorem leuat. Adhæc teſta terra operta ex aliqua parte, impoſita ſicut erat, liberare dicitur. Sed non debent reſpicere qui imponunt, & cauere ne Sol aſpiciat. Quod an verum ſit. experiundo certior fies.

Si quis in vaſis è ceruino cornu elaboratis, bibat, edátue, mora cõtracta vires venenorum, ſi quæ ibi ꝓpinata fuerint, hebetabit. Autor Cardan. Qui etiam ſcribit ſenecta anguis confricatos manè oculos, prohibere ne hebetudine viſus, aut ſuffuſione corripiantur.

Dioſcorides tradit eum qui tres quàminimos cytinos, hoc eſt flores mali punicæ deuorauerit, eo anno nullam lippitudinẽ paſſurum.

Rhazes medicus memoriæ mandauit, dentem hominis mortui collo patientis dentium cruciatum appẽſum, dolorem protinus auferre. Alij volunt dentẽ eo tangi debere.

Si carbunculus collo annectatur vt carnem tangat cùm ęgrotat homo, aut breui eſt ægrotaturus, aut venenum hauſerit quod nondum

ſentiat, impalleſcit aut nitorem perdit. Quod ſe expertum ſcribit Cardanus.

Adamas ſiniſtro brachio illigatus, vt cuti hæreat, nocturnos timores cohibet. Quod idem Cardanus ſe probauiſſe affirmat.

Verus Smaragdus hoc à natura habet rarum, memorabile ac præclarum, quòd puriſsimo auro incluſus & digito geſtatus, ſi cui amicorum proximum ingruerit periculum, illud (modò is præſens fuerit) de coloris mutatione, aut ſui ipſius inuiſibili de propria capſula euaſione, vel fractura, palam præmonſtret, ac præmoneat. Cuius rei fidem mihi fecit Smaragdulus meus in morte noſtri ORONTII. Nam pridie quàm obiret, è capſula ſua annulari euanuit nun-

quam poſtea viſus : nemini hæc ſcribens impono.

Apud Britones non procul ab vrbe Rhedonenſi, oppidum eſt quod Montemfortem vocant: vbi per menſem Maij dum D. Nicolai natalitia celebrantur, ex paruo lacu non longè ab oppido, ea hora qua ſacrificiũ matutinũ aut veſpertinũ celebratur, Anas templum ingreditur cũ 13. pullis, cedente populi frequẽtia. Quæ poſtquã aram circundedit, ad eũ locũ regreditur à quo ꝓſilierat, vno pullorũ quos ſecũ adduxerat ſemper deficiente. Neque vnquam (vt aiunt incolæ) auditũ eſt, quo ſe is recipiat. Siquis autem aliquẽ ex iis occidere tentauerit, eum rabie ſtatim corripi tradunt. Quod an verũ ſit necne, vnguem non verterim: Abſtinuiſſem

libenter ab huiuſmodi Fannorum reliquiis niſi viris doctis eas placuiſſe intellexiſſem: de quorū albo producam Gaudēt. Merulam lib. 3 Memorabil.

Apij ſemen ad Venerea animum reddit vegetiorem: quod vnum raporum ſemina paulò efficaciùs exe qui tradunt.

Si ſucci Saluiæ heminā cum modico ſale quarto à ſecubitu die mulier biberit, deinde viro ſeſe commiſcuerit, proculdubio concipiet. Probatum in Copto apud Aegyptios ab his qui poſt ſæuas peſtilentias ſuperfuerunt.

Sicuti Magnes ſi vel adſit Adamas, vel allio confricetur, ferrum reſpuit ac reiicit: ita nec ſuccinum ad ſe paleas allicit, quæ ſint oleo perfuſæ. Quin & Ocymum illas

peculiari dote trahit contra multorum opinionem. Autor Mathiolus apud Dioſcoridem.

Credebat antiquitas Verbaſcum cũ ſua radice tuſum & vino aſperſum, folióque inuolutũ, ac ita ſub cinere calfactũ & ſtrumis impoſitum eas abigere: modò virgo ieiuna & nuda laboranti ieiuno, manu ſupina locũ tangẽs hęc dixiſſet,

Negat Apololo peſtem poſſe creſcere,
Quam nuda virgo reſtinguat.

Atque ita retrorſa manu hoc dicendum putabat, & ter deſpuendum. Autor Gaudent. Merula.

Radix Cucumeris aſinini cum nitro pilos nigros equorum, & fortaſſe reliquorum animalium in al-

bos commutat. Autor Cardanus.

Narrãt Apri inter venãdũ recẽter occiſi dentes adeo feruere, vt admotos capillos nonnunquam exurant. Addam quòd manus ducta ſuper collum nigri equi, ſcintillas noctu ſpargere videtur, interdiu minimè. Autor idem Cardanus.

Radicem Ciclamini, mulieri trãſeunti ſuper eã menſes mouere ſcribit Dioſcorides. Quo loco non omittam quòd Stella piſcis dum viuit ac viget, ſuo calore cuncta vrere & atterere dicitur Res mira, cũ ille in aqua foueatur.

Si domi velis continere Feles illis auriculas præcide: timent enim aquæ, & pluuiæ, niuis item ac roris guttas ne in aures penetrẽt. Idẽ præſtare aiunt Valerianæ radicem calefactam.

Mirabile eſt quod Turturis ſeu Paſtinacę marinæ telum caudáue, cùm letiferas & exitiales plagas percuſsis inducat, ſi poſteàquam quis ictum ſenſit, in arbore quapiam & præcipuè querna illam ſuſpendat, arbor ipſa areſcat, & homo liber euadat. Quod antipathia quadam contingere ſcribit Aëtius.

Caninus ſanguis rabioſorum clyſteribus adhibitus eorum rabiem fertur extinguere. Et qui Muſtelæ caudam ſecum portauerit, in illum Canis nequaquam latrabit, modò muſtelam ipſam viuam dimiſerit. Quod alibi revera ſcripſimus: ſed quæ pulchra ſunt, decies repetita placebunt.

Aetites Aquilaris lapis, à venere & Luna id obtinet, vt mulierib⁹ qui-

bus lubrici ſunt vteri, partum contineat, ſi brachio ſiniſtro alligetur. Sed parturientibus illinc amouendus eſt, & fœmoribus alligandus, vt citò & facilè pariant. Quod Raſis ex Serapione ſe expertum dicit: alioquin fœtum remoratur.

Scribit Albertus ad cõpendium rei familiaris calceos optimos, & penè dixerim immortales, fieri ex corio aſinino, ea parte tergi qua onera baiulare ſolet aſinus. Nã nullo temporis tractu atteruntur, neque ſi per lapides quis perpetuò ambulet, neque per ſpinas: nimia tamen vetuſtate adeo dureſcũt, vt ferri non poſsint, quemadmodum adnotauit Hiero. Cardanus lib. 13. de rerum Variet.

Rubeta cocta & pro emplaſtro Cynanchicis impoſita adeo pro-

deſt, vt Cardanus affirmet quendam, cui ceu moribundo candelæ iam accenſæ fuerant, hoc auxilio à ſe liberatum fuiſſe. Fortaſſe & filum quo ſuſpēſa Rubeta interierit, idem præſtare poterit: experientia facilis.

Narrat Rondelletius medicus doctiſsimus in libro de piſcibus, Ranam Vulpeculæ per noctem in littore vagantis pedem corripuiſſe, ac retinuiſſe vſq; ad aurorã. Quod de marina Rana intelligendum putarem: quæ exenterata & inducta candela accenſa, tranſlucet, horrendúmque ſpectaculum exhibet.

De Colocyntide, ſeu agreſti Cucurbita Anton. Muſa medicorum Italiæ decus, hæc de experientia ſcribit. Hoc mihi(inquit) vſu euenit, Colocyntiden tractabam ac

præſentibus ſorore ac matre manibus ſolùm aperiebam. Quid tum? ego ſolo illius tactu, illæ odore adeo ſoluti fuimus, vt nullus noſtrũ fuerit, cui vẽter decies magna perturbatione commotus non fuerit. Ex quo vehementiſsimum pharmacum eſſe cõſtat ac venenoſiſsimum. Quod hîc Lectorem admonitum voluimus, vt in poſterũ ſibi caueat. In quo finem huic tertio Libello imponimus, quartum fœliciter aggreſſuri.

Finis Tertij libelli Arcanorum naturæ, Autore ANTON. MIZALDO Mõluciano.

ANTONII
MIZALDI MON-luciani, de Naturæ Arcanis Liber quartus: nunc primùm visus, & præcedentibus sociatus.



EXIMIO VIRO IACOBO GOVGNON,

Reuerẽdissimi Cardinalis à Castellione Vicario, & ecclesiæ Bellouacensis Decano, pio iuxtà ac docto,

ANT. MIZALDVS S.P.D.

INcomparabilis ille adolescentiæ formator Fabius Quintilianus, mihi sanè quã rectè & appositè scripsisse videtur, Iacobe Gougnon,

amicitias eas firmas esse ac perennes quæ à literis fundamenta sibi iaciunt: aut, si vis, quæ in palestra literaria primum sibi gradum faciunt, & mutua quadam animorum sympathia (quos immortales esse constat) conciliantur & emergunt. Hinc scilicet hactenus coaluit, & nodo plusquam Gordiano firmata fuit reciproca illa vtriusque nostrum amicitia. Quæ in præclara Biturigum Academia dum vnâ ferulæ manum, vt loquitur Iuuenalis, subducebamus, dum vnâ disputabamus, colludebamus, & lacte grammatico solidiorem cibum expectantes imbuebamur, solidissimas egit radices.

Quas nec obliuionis ventus vllus, nec fortunarum (de me loquor) fulmen vllum, in hunc vsque diem aut euellere, aut succussare potuit: imò verò ne silentium quidem, quod vnum, Arestotele teste, multas amicitias diremit, ac in dies dirimit. Huius itaque tam solidæ & syncerae amicitiæ nostræ cùm tu testimonia multà mihi vltro exhibueris, ego verò in hac parte, vt verum fatear cessator omnium maximus fuerim, vt culpam eam mihi redimerem, & tecum paria vtcumque facerem, chartaceum hoc munusculum, veteris amicitiæ nostræ pignus & symbolum, vel potius μνημόσυνον qualecun-

que, tibi hodie ex animo offerre ac deuouere visum fuit. Tibi inquã, philosophiæ cultori diligẽtissimo, & arcanorũ naturæ admiratori, scrutatoríque indefesso. Quod factum volui, vt amicitia nostra quæ à literis incepit, literato munusculo in posterum confirmetur, & plebeia à nasutulis nequaquã existimetur: hoc est, quæstuosa, nam vulgus, vt est apud Poëtã, amicitias vtilitate probat. Verùm hæc in præsentiarũ satis, vel fortasse plura quàm opus fuerit: vereor enim ne supra pedem calceus (quod dicunt) esse censeatur: volo dicere, ne epistola Libello tibi nũcupato longior videatur. Finem

itaque ſcribendi facio, vbi duo à te impetrauero. Prius erit, vt ſym politem illum tuum, &, ſi ita loqui licet, concanonicũ Dioniſium Quadratum, omnium horarũ ho minem vnâ cũ fratre tuo, & reliquis ordinis tui amicis ex anim mihi ſalutes. Poſterius, vt amicitiam noſtram iamdiu initam ſolito more foueas, vel potiùs augere pergas: id mutuò, & maximo cum fœnore facturus. Ben vale, Lutetiæ Pariſiorum pridi

B. Lucæ Apoſtoli, Euan-
geliographi, & Me-
dici. Anno re-
paratæ ſalutis
hominum

1558.



ANT. MIZALDI
De Naturæ Arcanis, Libellus Quartus.

A CANE rabido morsi abstinere debent per annum integrũ à quorũdam lignorum contactu: præsertim Corni arboris, & Sanguineę virgæ vocatæ. Siquidem vt testantur ij qui experimẽto rem compertam habent, si harum arborum virgæ tandiu manibus teneãtur quousque concalescant, ilico demorsi, rabie exagitantur: quemadmodum

ſcribit Andr. Mathiolus in 6 libro Dioſcòr. Quod fabuloſum minimè videri debet. Nam, cognouit ille, ſicuti adnotat, quendam in ciuitate ſua virum bonum & amicum rabie correptũ, quòd Corni arboris virgis diu lanam excuſsiſſet (dabat enim operam lanificio.) eorum oblitus quibus à medicis ſibi interdictum fuerat: rabidus tandem interiit.

Radix Hellebori nigri inſerta aut conſuta inter carnem & pellem iumenti quod vipera momorderit, ipſum ſanat. Autor Hier. Cardanus in lib. de Subtilitate.

Si peſte oues interierint, panni ex illarum vellere concinnati non modò phthiriaſim hoc eſt pedicularẽ morbum gignunt, ſed & ſacrum ignem, vt Vergilius 3. Georgicωn.

teſtatur.

Ferunt Vulpem decoctam & in fruſta diuiſam, datámque Gallinis in cibo, illas à Vulpibus per bimeſtre temporis ſpacium ſecuras reddere. Idem continget in Anſeribus & Anatibus. Quod nos ab amico id experto accepimus: & poſtea apud Cardanũ in lib. de Rerum Varietate legimus.

Maximè mirandum eſt Regulum auem veru perquam tenui infixum, ſemetipſum torrere & circumuertere. Sed lignũ illud ex Corylo recenter extractum eſſe oportet, & auiculam implumem atque exenteratam. Quod non adnotauit Cardanus, aut fortaſſe ignorauit. Cuius rei fidem de experientia mihi fecit ſuperiori anno, Ia-

cobus Maioranus Delphinas, arcanorum naturæ ſtudioſiſsimus & rerum occultarum indagator vigilantiſsmus.

Pauonis caro aſſata, vt D. Augustinus refert ſe expertum, per integrum menſem ſic ſeruatur, vt neq; ſapor, neque odor deterior reddatur. Per annum quoque id fieri experimentum aliquando produxit: nam corrupta non eſt, contabuit tamen.

Galline vinaceis ſterileſcũt, hordeo ſemicocto numeroſiora pariũt oua & maiora: quod ſuperiùs fortaſſe admonuimus. Addo quòd ſi illæ pediculis infeſtentur, aut Anſeres, vel aues aliæ, illitu olei lini facilè curabuntur. Autores ſunt priſci rerum agri interpretes.

Licet Meſpili arboris fructus a-

ſtringentis ſit naturæ, nihilominus puluis eius lapillos in renibus vehementer comminuit, & ab illis excludit. Cuius rei periculum feliciſsimo ſucceſſu à ſe factum teſtatur Antonius Muſa, medicus apud Ferrarienſes doctiſsimus.

Ariſtoteles Hederam naſci teſtatur vbi ceruinum cornu defoſſum fuerit. Et ſi quis dum Braſsica coquitur, vinum vel pauciſsimum inſtillet, neque coquetur illa neque color ipſius conſtabit. Quod alibi, vt reor, à nobis ſcriptum fuit.

Adeo venena plærũque venenatis ſunt venena, vt Aconitum ex vino tepido percuſsis à vipera, aut Scorpione exhibitum, ſalutiferum eſſe, expertũ ſit medicis nonnullis.

Baptiſta Fulgoſius refert iuxta

Sirminum vrbem Pannoniæ, capreolos verè aureos in vitibus quádoque repertos fuiſſe, ex quibus percuſſa fuit aurea moneta. Quod etiam multi præſtantes viri temporibus noſtris viderũt vt ſcribit Gaudentius Merula, libro 4. Memorabilium.

Cannabis humidæ ramuſculos ſi dormiturus penes te appoſueris, à Culicibus nequaquam infeſtaberis. Res multis experta & probata.

Aſparagum ſi per annum totum habere cupis, cùm fructum adimis, ſtatim radices in ſuperficie ſarrito: ſic enim tractata planta rurſus Aſparagum emittet. Cæterùm hoc olus rigatione non eget, ſed potiùs ſiccitate, vt nos priſci docuerũt Geoponici.

Africanus tradit frumentum ſupra menſuram incrementum accepturum ſi nitrum & eius ſpumã triueris, ac tenui terra miſcueris, aceruíſque frumentariis adieceris. Eadem res illæſum ac integrũ ſeruat triticum.

Sal pedibus affricatum, de experientia noxam tollit & impedimentum quod ex vini crapula contractum fuerit. Idem aiunt Amygdalas amaras poſſe efficere ſi quis aliquot ante certamen Bacchicum præſumpſerit.

Lacryma vitium quæ velut gũmi in caudicibus concreſcit ex vino pota, renum calculos mirè diſſoluit. Illita verò lichenas, pſoras, & lepras, nitro priùs perfrictas curat.

Refert Olaus Magnus in hiſto-

ria Gothica, ſaxa magna non alia re faciliùs rũpi, quàm lardo accenſo: tamen Annibal, vt eſt apud Poëtam, rupes, ſeu (vt alij legũt) alpes fregit aceto.

Non ex alio pabulo lactis copia maior aut melior quàm ex Cytiſo. Quin & nutricibus in defectu lactis aridum atque in aqua decoctũ, potui cum vino dari iubet Ariſtomachus Athenienſis, ita firmiores celſioréſque infantes fore promittens. Autor Plin. libro decimo tertio. cap. 24.

Vbi ſemina fuerint terra obruta, ſi modicum frumẽtum veratro admixtum, aut fece vini incoctũ propè ſeminaueris, quæcunque aues guſtauerint, morientur, aut inebriabuntur: nihilominus tamen edules erunt. Cæterùm, ſi illas harundini

affixas, ibi per pedes ſuſpenderis, hoc quaſi amuleto aues reliquas ne accedant, procùl arcebis. Autor Africanus in Geoponicis Græcorum.

Accipitri amica ſunt Saluia & Mentha: & ex arboribus Abies ac Salix. Cuius plumas ſi mutare voles, carnes muris cum piſciculorum puluere exhibeto :aut pulpamentum Gallinæ ſerpentum carnibus educatæ.

A tuberculis faciei leproſæ & elephanticæ multi liberati ſunt ſola lotione aquæ diſtillationis fragorum:illis priùs in vaſe vitreo, ſub fimo putrefactis. Autor Conradus Geſnerus.

Fructus Balſaminæ adeo pingui abundat parte vt maturus ſi ſepeliatur, ſponte in oleum tranſeat,

quod ad multa eſt efficaciſsimum.

Noſtra ficus fructum non abiiciet, nec item abortiet, ſi ex moris truncum illius ſæpenumero illeueris. Vel ſi Luna ſemiplena rubricã truncis eius induxeris. Aut groſſos ex ipſamet arbore amuleti vice ſuſpenderis.

Si garyophyllum, cinnamomum & gingiber lintheolo clauſa in ardente aqua infuderis: & inde pateram ea aqua collueris, vino quod ibi propinabitur multùm gratiæ addes. Autor Hieronymus Cardanus.

Gallinæ fœcundæ fient ac tota hyeme oua parient, ſi præciſas vrticas cùm iam ſemem effundere cœperint, reſiccatas per occaſionem furfuribus in eſcam eis permiſcueris. Nam ita illarum viſcera

concalescent, & excrementitiũ sanguinem, ex quo oua progignuntur, multum & copiosum elaborabũt.

Intra horam acetum habebis, si quatuor Betæ radices absque aqua expurgatas & contusas in XXVIII vini vncias proieceris. Autor Gaudent. Merula.

Cùm segeti, arboribus aut vitibus nebulam siue rubiginem timebis, sarmenta vel palearum aceruos, & euulsas herbas per vineas, campósque incendito: fumus medebitur. Autor Plinius: quod fortasse à nobis alibi scriptum fuit.

Characteres hircino adipe lapidibus inscripti, à nemine videntur: fient autem conspicui si lapis ipse aceto immersus fuerit. Res à multis scripta & probata: vereor ne puerilis habenda nedum philoso-

pho digna.

Philcſtratus in Græcorum Geoponicis affirmat quòd ingruente grandine ſi diuerſarum ędium claues multas funiculis colligatas & appenſas, per agri aut prædij ambitũ concuſſeris, præteribit grando. Quæ res ſi à ſonitu & ſtridore vires habet nolarum tinnitu vti, conſultiùs ac faciliùs eſſet. Quarũ vſus antiquorũ pleriſque aut rarus aut fortaſſe nullus fuit: nobis frequens & præſentiſsimi amuleti loco reboante grandine & tonitru, aut procelloſa vel lapideſcente nube & aura. Alij ſpeculum magnum nubi pregnanti, & grandinem parturienti obiicebant ac oſtendebãt. Sed de his in noſtro ſecretorum agri Enchiridio, multa propediem leges.

Caſtrantur Galli abſque vulnere & periculo, vti etiam aliæ aues, ſi deplumati inter caudam & anũ, candenti igne exurantur: caudam enim demittunt, nec canunt, nec ineunt fœminas. Autor Carda.lib. 7.de Rerum Variet. ex Geoponicis Græcorum.

Multas candelas vnico filo accẽdes, ſi priùs filum illud aqua madefactum, ſulphure & auripigmento cum oleo diſſolutis illinas. Sed vtrunque purgatum eſſe oportet: vnguentum hoc Hermetis vocant.

Serpentes Sabinam vſque adeo amare tradunt, vt circa eã frequens illarum multitudo conueniat: amãt & Hederam ac Fœniculum, ſicuti bufones Saluiam, & Viperæ Erucam.

Si Vespam posterioribus pedibus prehenderis, sinásque bombum mittere, reliquæ omnes aculeo carentes ad illam, vt masculi ad fœminam, ceu auxilium allaturę conuolabunt. Autor Hieronymus Cardanus, & ante eum Plinius aliíque rerum agri scriptores & illustratores.

Ligna quæ amurca inunguntur splendidiora euadũt. Ferrum quoque & æs, si priùs deterseris quàm ea inungantur, à rubigine vindicabis.

Sunt qui imagunculas eo artificio forment & effingãt, vt illarum ori sulphur & petrolæum posśint inserere, eíque extinctas imperfectè cãdelas admouere: quæ magno miraculo statim flammam concipere videntur.

Peonia per æſtus Caniculæ ante Solis exortum euulſa, valet contra venena, faſcinum, pauores, laruas & alia.

Dioſcoride autore herba Attractylis vim miram à natura habet contra venena: propterea percuſſos à Scorpione, quãdiu ſupra vulnus tenetur, nullum dolorem experiri ſinit: ſi deponatur, grauiter recrudeſcere permittit.

Carduus benedictus vulgò ita nuncupatus, planta nullis non cognita (quam falsò multi Attractylyden putant) magnarum eſt virium, magníque nominis, & magnæ æſtimationis: præſertim contra peſtilentiam & venena lethalia: tam interiùs ſumpta, quàm venenatorum ictibus ac morſi-

bus impoſita. Quæ planta quia occultarum eſt virium, quidquid de illa ſum expertus, hîc deinceps paucis aperiam. Quod multi inſignis ſecreti loco reconderent. Sed, quę mea eſt natura & facilitas, quęcunque arcana domi habent multi habuerúntque hactenus, ego illa ingenuè omnibus impertio & communia facio.

Cardui benedicti decocto, aut ſtillatitia eius aqua, ſeruati ſunt ac curati multi quartana laborantes, aut aliis febribus detenti, quarum acceſsiones comitem habent frigoris moleſtiam. Ad id etiam prodeſt pulueris eius drachma epota. Vti etiam comitialibus infantibus, ſed minore pendere.

Cardui benedicti decoctum ex

vino ſumptum, ilium & renum dolores mulcet, ac ventris tormina ſedat, necnon vteri vitiis auxiliatur: herba ipſa recens aut ſicca, pota vel exteriùs admota, vlcera contumacia ſanat, & cute obducit. Hactenus de Carduo benedicto.

Refert Ariſtoteles Perdicem ſuperuolante maſculô, vel eius voce audita, aut etiam ſolo oris halitu excepto, concipere. Quo loco non omittam Phaſianos ſuas imagines in albis lintheis adeo mirari, vt ſui obliti plærunque in retia incidant.

Non deſunt qui agrorum ſtercorationem penitus damnẽt: quòd ea non modò aërem inficiat, ſed etiam fructus corruptibiliores reddat. Et hac in re maximè laudant

Heſiodum: qui in ruſtico opere agrorum ſtercorationem ſciens omiſerit: ſalubritati potiùs cõſulere ſatagens quàm fertilitati. Sat, ſupérque eſſe arbitratus ex Lupinorum, Fabarum, Piſorum & aliorum foliis ac folliculis tempeſtiuè ſubuerſis (quæ ſympathia quadã agris ſunt familiaria) cãpum ipſum potiùs pingueſcere, quàm putri & peſtilẽti materia imbui ac corrumpi. Sed de his fuſiùs in noſtris rerum agri Secretis.

Torpedo piſcis ſolo cõtactu ſuo omnia congelat ac hebetat: cuius vis omnis latet in alis quæ aculeis ſunt munitæ. Ille conditionis ſuæ ſignarus in arenis latitat, mortuo ſimilis: vt prætereuntes piſces (cùm aliter piger ſit) ad ſe alliciat & decipiat: qui illum mortuum eſſe exi-

ſtimantes, vellicando ac prædam captando, miſeri tandem capiuntur.

Literæ ſucco Ceparum deductæ & formatæ, planè inuiſibiles ſunt: quæ tum demum ſe prodent, cùm papyrus ipſa, aut res alia inſcripta, fuerit excalfacta. Res leuis & pueris nota, à Cardano tamen adnotata.

Referunt quòd ſi halinitri partẽ ſumpſeris, addideríſque thuris, olei communis, & lactis lathirydis quintam ſingulorum partem, decimàmque ſulphuris, & cæræ dimidium ſuperaddideris, candelam facies quæ colore, odore, motu ac ſtrepitu admirabilis erit.

Autor eſt Theophraſtus quòd ſi iumẽta Taxi folia comederint, mo

riuntur: ruminantia verò nihil pa-
tiuntur. Addit Plin. vaſa viatoria
ex ea arbore facta mortifera eſſe:
adhæc foliorum fumo mures ne-
cari.

Cognoſcent Bubulci marémne
an fœminam conceperit Vacca, ex
ſolo Tauri deſcenſu. Nã ſi in dex-
tram partem abierit, marem in v-
tero futurum ſignificabit, ſi in læ-
uam, fœminam. Autores ſunt rei
ruſticæ obſeruatores priſci ac re-
centes.

Tradunt multi gummi Ceraſi
cum vino potum, calculis vexatos
adiuuare: quòd tenuium partium
illi facultas inſit.

Archelaüs autor eſt quot ſunt cor
poris cauernæ Lepori ad excre-
menta, totidem illi eſſe ætatis an-
nos. Tradit præterea Leporibus

omnibus vim eã ineſſe, vt ſine mare ex æquo gignant, ſintq́ue animalium omnium fœcundiſsimi.

Si Aſini Cicutam liberaliùs depaſcantur, ſomno profundiſsimo & torpore inexpugnabili corripiuntur: ita vt non tantùm ſtupidi, ſed planè mortui videantur. Id quod aliquando ruſticos rei huius ignaros fefellit. Nam dum Aſinis quos ob id mortuos credebant pellem ad vſum detraherent, accidit quòd in medio ferè operis Aſini experrecti ſint: magno excoriantium terrore, & ingenti ſpectantium riſu. Autor Andr. Mathiolus in 4. Dioſcorid.

Ramus Sambuci foliaceus in talparum tumulantium oſtiola impactus, illas aut exire, aut ibidem expirare antipathia quadam cogit.

Addo quòd Pulegium dum floret si à pecoribus gustetur, balatũ concitat, & ob id blechona illud nonnulli vocant. autor Dioscor.

Degenerant Cerasi quocunque fimo illarum radicibus admoto. Contrà, proficiunt ac lætantur si earum concisa putamina, circa radices sepeliantur, & ibi marcescãt. Autor Plinius.

Nerij seu Rhododaphnes, vel, vt aliis placet, Rhododendri flores & folia, quadrupedũ quamplurimis, vt scribit Dioscorides, venena sunt: sed Mulis, Canibus & Asinis omnium maximè. Quod præsentaneo ferè malo suo deceptus Apuleius, ni labra summouisset, experiebatur: quemadmodum ille idem in aureo suo Asino scribit.

Mareria quæ in syluis per Bru-

mam flante Borea cæditur, etiam ſi viridis fuerit, citra fumum ferè ardebit. Addo quod in cellis vinariis omnibus quæ Notum reſpiciunt, nullo negocio vina peruertuntur.

Anguillę ne vnum quidem diem Noto perflante extra aquas viuunt: quæ ad tertium diem etiam abſque aquis, ſpirante Borea viuæ perdurant.

Succus foliorum Betulæ coagulo admixtus caſeos vindicat à carie & vermibus. Autor Andr. Mathiolus in Dioſcor. Cui addo ex Plinio virgam ex Tamarice defractam, ita vt neque terram neque ferrum attingat, ventris dolores appoſitam ſedare: modò tunica, cinctúque corporis apprimatur.

Quod ſuperioribus libris adnotatum fuiſſe arbitror.

Ferunt Equos qui herbas in mōtibus depaſcūtur vbi copioſa prouenit Lunaria maior, auulſis ab ea clauis, ferreos calceatus ſuos amiſiſſe. Quod fortaſſe commentum fuit, quia planta ea ſemen profert ferreis Equorum calceis ſimile.

Elleborus niger boues, equos & ſues necat: proinde illum in in paſcuis cauent & refugiunt huiuſmodi animalia, album veratrum innoxiè depaſcentia.

Si notabilis Solis eclipſis, ſeu potiùs labor inciderit, dum ſeges floret, eo anno ſtipulæ abſque granis collegentur. Et maximè ſi Sol exoriens deliquium patiatur. Autor Hieron. Cardan. in 2. lib. Apotelesmatωn Claud. Ptolemæi.

Oenanthe ſtatos latebræ dies habet: ex oriente Sirio occultata, & ab eius occaſu omnibus cõſpicua. Chloriõ quoque qui lutheus totus eſt, hyeme non viſus, circa æſtiuũ Solſtitium ſe prodit. Autor Plin. lib 10.

Qui ſecum roſtrum habent Pici Martij auis arborariæ, ab apibus non feriuntur, autore eodem Plinio: qui etiam tradit eũdem Picum Martium infeſtiſsimum eſſe iis qui Peoniam effodiunt.

Intertriginem M. Cato ait ſanari ſi ſurculus Abſynthij Pontici ſub annulo feratur. Res non omnino huic abſimilis, quæ de Regum Angliæ annulis circunfertur. Autor Gaudent. Merula.

Alni folia recentia nudis pedum plãtis ſuppoſita, viatotibus itinere

defatigatis leuamentum præſtant. Quin & rore matutino madentia, cubiculis ad necandos per æſtatem pulices vtiliter ſparguntur. Valet cortex tingẽdis coriis atro colore. Autor Andr. Mathiolus in cap. 93. lib. 1. Dioſcoridis.

Ventriculum Arietis ex vino & aqua coctũ & exhibitũ, pleróſque ouium morbos leuaſſe docuit experientia rerum incertarum certiſſima magiſtra. Sed hæc ex noſtris rerum agri Secretis huc proferenda non erant.

Paulus Aegineta ſcribit eum qui ieiunus lentes comederit, & aliquem momorderit, morſum ferme lethalem relinquere. Et in Verbena id mirabile obſeruant, quòd eius gramen rectum, genitale intendat, ſupinum verò emolleſcat.

Radicem Panacis vuluæ parturientis admotam, fœtum è maternis claustris ad facilem exitum inuitare aiunt. Adhæc Pistacia luctæ venereæ admodum conuenire.

Rondelletius medicus celebris refert in lib. de Piscibus, Anguillas innumeras procreatas fuisse in stagno Magalonæ, proiecto in illud Equi cadauere. Cui addo quòd Tincis piscibus summa est amicitia cum pisce Lucio. Adhæc, quòd illarum decocto maculas omnes tolli, fidem mihi fecerunt multi.

Non procul à Gratianopoli Delphinatus vrbe insigni, turris vetustissima etiam hodie visitur, quæ araneas nescit, neque venenosum reptile vllum admittit.

Quinimo ſi quod huiuſmodi in eam miſſum fuerit, è veſtigio moritur. Ex quo ab incolis Turris abſque veneno dici ſolet. Quod à præceptore noſtro, & amico incomparabili ORONTIO FINAEO, dũ viueret plus millies audiuimus: qui turrim eam ſumma cum admiratione viderat.

Tradit Aëtius ex Piſone, Perdicem vociferari & cortem in qua alitur lacerare, vbi ſagacitate quadam naturæ ſenſerit medicamentum quodpiã lethale, aut venenũ aliquod intra ædes parari.

Plumbeum vas ſi aqua plenũ fuerit, igne non liqueſcet. Cui ſi calculũ inieceris, illico aut liquefiet, aut perforabitur. Autor Gaudent. Merula. Vt vt ſit, experiẽtia eſt admodum facilis.

Pedes omnes magnæ Rubetæ [c]ũm viuit abſciſsi quando Luna vacua ad Solis cõiunctionem properat, ſi collo ſtrumas patiẽtis circundentur, adeo proſunt vt perſępe à morbo liberent. Quod quidam etiam ad Buſonem referunt. Autor Hiero. Cardan. in lib. de rerum variet. Quo loco non omittã, quòd eiuſdem Rubetæ cinis collo mulieris fluxum menſium patiẽtis ſuſpenſus, eum cohibet. Alibi fortaſſe ſcriptum.

Simonides tradit Pauonem alas excutere, caudam dilatare, vociferari, & ad locum prodire vbi latitauerit venenum: illúdque ex vaſis effundere: & ſi defoſſum fuerit, effodere. Res ſi veritatem habet, planè admirabilis & rara.

Sic ouum facies legibiles literas

& in teſta exſculptas circunferen
Illud cæra vndique obducito,
putamen eius ita circumlitum,
voles inſcribito vel pingito, done
appareat & detegatur. Deinde a
ceto quàm acerrimo per diem ma
cerari ſinito, & cæram poſtea de
radito. Videbis literarum tractu
conſpicuos. Quod ſi putamen ip
ſum exinanire voles, facto in vtra
que extremitate paruo foramine
albumen cum vitello, altera part
facilè exſufflabis. Sed puerilia hæ
pueris tractanda relinquamus.

Vituli marini adeps hydrophobis vtilis eſſe exiſtimatur, ſi facies eo inungatur. Adhæc illius pellis podagricorum pedibus ſuperpoſita illorum dolores ſedare & lenire fertur.

Dioſcorides tradit Anthirrino

perunctos cum Lilino oleo venustiores fieri:nec vllo medicamento lædi posse qui Antirrhimum appensum gestauerit.lib.4.

Sunt qui dimidiũ putaminis oui calce implẽt,partẽq; pyrijpulueris superaddũt, deinde cęra claudunt, eámq; miscellaneã totã aquę frigidissimę imponũt, quæ ignẽ statim accẽdit cum emicante flamma.

Mihi narrauerunt amici aliquot qui rerũ experimẽta profitẽtur, ꝙ Symphyti decoctũ vtiliter propinatur deuolutis ab alto. Ac etiã iis qui interna vulnera acceperint. Ad hæc valere ad dysenteriam & alia profluuia. Quod, ceu secretũ magnum,multi auro multo non reuelarent.

Aqua in qua radix Onagræ maduerit, pota, feras mitigat ac man-

ſuefacit. Et ſi pregnans herbá quæ Onoſma vocatur fuerit ſupergreſſa, de abortu timere debet: quemadmodum ſcripſit Dioſcor.

Nodi in corporibus emergentes, ſi Luna ſilente diu fricentur, vaneſcunt. Oportet autem ſingulis menſibus repetere. Addo ꝙ ſi mammæ lacte turgeant, ampullę in aqua excalfactæ & papillis appenſæ illud trahunt, perinde ac ſi infans ſugat.

Semina Vrtice, aut fici ſurculi, vel Melonis fruſtulũ, celerem carnium coctionem excitant. Et ſi Eryſimi grana ſeptem in ædes alicuius proieceris, rixæ & iurgia in ea mouebuntur. Autor Gaudent. Merula in lib. Memorab.

Si Capris inter ea gramina quibus & libenter & iucundè veſci ſolent, ocymũ immiſcueris, reliquis depaſtis

depaſtis ab illo ſolo abſtinebunt. Ex quo malitia plantæ huius detegitur: quæ multò pernicioſior eſt, quàm quis de odore ſibi facilè perſuadeat: vti locis multis antea ſcripſimus.

Pulegium ex melle & aloë potum pulmonis vitiis medetur. Et oſſa fracta tam in hominibus quàm animalib⁹ egregiè ferruminat Symphytum: vnde Macedones illud Oſteocollon, quaſi dicas oſsicollam appoſitè nominauerũt. Id pro ſecreto multis habetur.

Vuarum florem ſi depaſti fuerint Gallinacei, racemos non guſtabũt nec attingent, vt ſcripſit Plinius & nos, vt opinor, alibi adnotauimus. Addo quòd Erucæ ſylueſtris folia tria ſiniſtra manu contenta, icterum ſeu Regium morbum ſanare

dicuntur.

Volaterranus teſtis eſt ſuo tempore inuentum fuiſſe ruſticum ore aperto in agris per fœniſecia dormientem: qui cùm ſerpentem imprudenter per fauces hiantes admiſiſſet, ſeſe ſtatim commanducatis alliis, ceu præſenti amuleto, curauit. Virus tamen ac mortem vxori in coïtu (res mira) transfudit & inſtillauit.

Si quis Rutæ folia tria cum nucleo nucis aridæ & antiquæ, adiecta carica ac ſalis tuſi granulo, quotidie ieiunus ſumpſerit: contagioſam ſæuámque aëris peſtilẽtis procellam à ſe arcebit. Quod antidotum mihi & amicis meis fœlici ſucceſſu in magnis peſtilentiis ſæpenumero profuit. Illud Mithridati Regi plærique omnes aſcri-

bunt.

In Allio memorabile id eſt, quòd
icet ſanam oculorum aciem lędat,
nihilominus eandem humiditate
hebetẽ refocillat. Autores ſunt Se-
rapio & Dioſcorides.

Porri ſemen contuſum & ex paſ-
ſo bibitũ lotij difficultates ſoluit,
ac vrinarios meatus aperit.

Si piſcem gratiſsimi ſaporis, &
guſtus iucundiſsimi habere voles:
in optimam & generoſam vitis a-
quam (ardentem nuncupant) illum
extingue, & aliquandiu ineſſe per-
mitte: durabit ita ad compluſcu-
los dies. Quòd ſi illum ſic enectum
ſale & pipere condieris, nihil erit
ſuauius: ſi quidem ex optimorum
genere fuerit piſcis ille.

Aquila domeſtica, vt loquitur a-

pud Aëtium Menelbus, ob os eius insilire solet qui venena prę́sens habet, aut comportat: vel ex iis aliquid in domesticam perniciem moliri nititur ac satagit.

Ictus à venenoso reptili, siue à rabioso cane demorsus, diligenter caueat ne animal cuius causa laborat, intuëatur ante adeptam pristinam valetudinem: etiam si conualescere incipiat. Aiunt enim medici Hebręi illum aut interiturum, aut è recidiua periclitaturum.

Si ex puluere sulphuris purissimi & cæra æquo pondere candelam concinnaueris: eam accensam nulla aura, licet violenta, extinguere poterit. Cui si tantundem Caphuræ addideris, etiam in pluuia lucebit.

Nerui musicorum instrumento-

rum ex Lupi inteſtinis compoſiti & aptati, vbi digitis pulſati reſonuerint, comites & præſentes fidiculas omnes ex ouili inteſtino factas, obmuteſcere cogent. Tanta etiam in mortuis eſt antipathia: de qua ſuprà.

A multis expertum audio genus illud conuulſionis quod nos guttam grampham vocamus (à piſce Grampho, ſeu torpedine dictam, qui leuem quendam torporem tangenti inducit) curari, ſi loco patiẽti nodi lignei ex viſco quercino ſuperponantur.

Tradit Rondelletius experimento compertum eſſe Squatinam piſcem mammis mulierum ſuperpoſitum, illas adeo conſtringere, vt Virginum mammis aſsimilentur. Poterit & genitalibus earundem

partibus idem efficere.

Referunt verrucas foliis ficulneæ contactas aboleri ac vanescere, si folia ipsa postea sepeliantur. Sunt qui cordi Columbi idem adscribant. Alij salis granis numerando eas tangunt, quæ grana postea in furno exurunt. Serapio contactas singulas singulis ciceribus post terga tandem reiectis, in ipsis mensium Calendis, abolebat ac delebat.

Aëtius consulit Canem summa diligentia sepeliendum, qui morbo ab homine cõtracto perierit. Nam graues plærósque affectus homine liberato in eum transfundi putat.

Cymini suffitus pallorem inducit: & vinum epotum in quo Stellio quasi computruerit, maculosam

reddit faciem. Addo quòd formicarum oua crepitus ventris mouent: adhęc castanearum flores, vel vt alij volunt, earum tunicæ siccatæ, & in puluerem redactæ.

Dum Luna Ioui coniungitur si dederis tribus diebus epileptico sequentem miscellaneam, eius saluti plurimùm consules. Accipe maceris, adhæc seminis Peoniæ & radicis, drachmæ dimidium, foliorum garyophyllatę & primulæ veris (quæ est Bellis) drachmam vnam, terantur omnia, & cum vino albo bibantur.

Vt margaritas dissoluas imprimis illas integras laua & deterge, succúmq; limonũ bis aut ter cola, & ei illas immerge ac Soli depone. In quinque aut sex diebus colli-

quari videbis, vt mellis (quòd ad consistentiam attinet) similitudinem referant. Ex ea materia poteris formare quidquid tibi visum fuerit: & paucis diebus diues fieri, si Cardano credis.

Si fabarum lomento loca pubi recipiendæ idonea lauentur, puelli puellęque non pubescent. Et si pennæ Ciconiæ in domo aliqua fuerint, in illa non sternutabunt infantes, Autor Aëtius.

Refert Auenzoar quandoque in regionibus suis eô calamitatis ventum fuisse propter famem, vt cadauera mortuorum è sepulchris eruerent homines, quô ossium medullas sugerent. Res solo auditu horrenda, quā vt à nobis & nostris nepotibus auertant superi, precor & opto.

Peoniæ masculæ radix mẽse Maio crescente Luna collecta, & pro amuleto suspensa, podagricos & calculosos maximopere iuuat: quod vt opinor, à nobis alibi scriptum est.

Lac Equæ bibitũ à muliere post mensium purgationem, cõceptum iuuat, perinde atque porcelli testiculi, & Leporis vterus. Autor Cardanus libro octauo de Rerum Varietate.

Auri lamina super cerebralem suturam gestata, cerebrum cõfirmat. Eadem ad cordis regionem appensa, palpitationem illius curat, lætitiámque auget. Super renes posita, illos cõfirmat, refrigerat & nephriticos dolores sedat. Sed optárim illam ex purissimo auro Sole in Leone versante & Iouẽ feliciter aspi-

ciente cum Luna, illam percuti ac fabricari.

Ferunt Cyclaminum vino infusum ebrietatem parere, si postea vinum hauriatur. Adhæc Nymphea radicem coïtui obesse. Idem facit & vitex, vt alibi scripsimus.

Existimant quidam oua fundæ imposita, si diu & celerrimè agitentur, posse absque igne excoqui. Quod Babylonios fecisse leges apud Coelium Rhodiginum.

Quidam in ipso momento motus terrę nascentes, semper pauent. In tonitru, lãguidi ferè sunt ac meticulosi: ardente Cometa, velut amantes rapti. Interlunij tempore, aut non viuunt, aut debiles fiunt: & plærunque ex Aristotele, atra bile laborant: aut egregiè melãcholici euadunt.

Tradunt eum qui in pelle ouina dormierit vera somnia visurum. Adhæc qui in picato vase biberit, comitialem morbũ expugnaturũ.

Existimant fœtus in vtero contineri, si vermis qui in gramine reperitur, antè quàm terrã attingat, viuus collo suspendatur.

Ne atramentum desit in peregrinatione puluerem ex calchãto, galla & lacryma Arabica tecum feres. Nam hæc aqua dissoluta magno erunt compendio. Si verò timeas hyeme atramentum congelari, ei ardentem aquam superadde, aut ex ea illud compone. Hæc Card.

Ferunt acetum validum turbida omnia clariora reddere, vel minima quantitate: adeo quòd vna gutta vni libræ fermè sufficiat. Nã succos à fæcibus egregiè separat.

Si linthea, mappæ, mantilia, ſtrophiola aut ſimilia calchanti puluere inficiantur, qui ſe his detergent, ea parte nigri fient, cùm tamen illa priùs candidiſsima fuerint.

Si ſucco colocyntidis gladiorum acies illinantur, quę ſcindent amara erunt. Si aſſa (quam fœtidam vocant) fœtida apparebunt. Idem de allio, & ſimilibus cenſendum eſt.

Ferunt Bouis veſicas in aqua coctas, deinde reſiccatas & pulueratas, necnon cum ea aqua epotas, omnes morbos veſicę curare & maximè vrinę incontinentiam. Autor Hieronymus Cardanus.

Oſsiculum hominis quodcunque, appēſum vt carnem attingat, doloribus ventris qui certa periodo repetunt, prodeſſe exiſtimatur.

Et annulus ex Bubalorum cornibus concinnatus, Gramphum ſeu muſculorum cõuulſionem (de quo paulò antè) ſedare.

Aureum colorem metallis ac lapidibus ſic induces. Accipe ſalis ammoniaci, calchanti albi, ſingulorum partes æquales quatuor: ſalis lapidei & æruginis partes tres ex vnoquoque. Quibus in puluerem, vel potiùs pollinem tenuiſsimum redactis, annulum, lapidẽ, aut metallum aliud ſic immergito, vt à puluere circumtegatur: atque ſic in ignem per horam imponito: extractum recenti vrina immergito. Ex libro vndecimo Hieronymi Cardani de rerum variet.

Pictores album oui, quod per horam agitatum & concuſſum in aquam vix reſoluitur, conciſis mi-

nutim fici pediculis illico in aquã mutant ac conuertunt: & quod maius eſt, vim glutinis ei addunt: adeo vt coloribus infuſis, eo tanquam Arabica lacryma commodè liceat vti. Sed hoc, vti præcedens alterius eſt conſiderationis ac inſtituti.

Herba Caltæ ſeu Calendulæ cuius luthei ſunt flores in fruſta conciſa, piſces etiam prægrandes horæ ſpacio (ſi in aquam proiiciatur) attonitos reddit. Experimentum ſat facile, iucundum ac vtile.

Si nati ſtatim moriantur, nec educari poſsint, prægnans aſsiduè edat oua teſtudinum. Autor Cardanus. Ex quo etiam addo, quòd caphura arteriis illita vigilare facit, populeō vnguentum, contrà.

Stillaticia aqua Aſteris attici po-

ta, aut in vuluam muliebrem indita, alba profluuia mirificè ſiſtit: adeo vt eius quoque diutina iniectione, corruptę ab incorruptis vix dignoſci poſsint. Quod efficaciùs & celeriùs præſtabitur, ſi in eius decocto inſederint.

Si quis mularum aut equorum pilos ſucco foliorum cucurbitæ ęſtate media intinxerit, imbuerítue, non paruo rei miraculo à muſcarũ moleſtia, iam dicta animalia, aut etiam alia defendet: Res multis expetita & equitantibus apprime vtilis.

Nun pręclarũ hoc naturalis diſſidii & ãtipathię ſpecimẽ, quòd tympana lupino obducta corio, alia agnina pelle cooperta ſonitu ſuo diſrumpũt? quemadmodũ ſcripſit

Oppianus libro tertio Cynegeticωn: & nos libro primo præmonuimus.

Pulmo marinus lignis illitus, facit vt ſplendeant nocte facum inſtar, vt ſcripſit Cardanus lib. nono de Subtilitate. Qui etiam tradit diuturno Sapphiri attactu, virus anthracis extingui.

Electrum quod ſponte oritur in vas conformatum, venena duplici via prodit: nam ſtridet, atque arcus iridi ſimiles effingit. Idem tribuunt multi Aurichalcho.

Si cinere collecto ex cremata anguis ſenecta, dum Luna plena lumine in prima Arietis parte fuerit, quis conſpergat caput, ſomnia terribilia videbit. Si ex eodem aqua diluto faciem lauet, terribilem apparere

parere faciet. Si ſub planta pedis habuerit, gratioſum coram magiſtratu ac principib⁹ reddet. Autor Cardan.

Cimices lectularij ſi viui ſeptem deuorentur ante febrium acceſsiones, folliculo vuæ aut pruni concluſi, non ſolùm quartanariis remedio ſunt, ſed etiam percuſsis ab Aſpide. Autor Dioſcor. lib. 1.

Conſopiuntur Cete caſtoreo aquis diluto: nam protinus merguntur, mira quadam antipathia. Eſtque hoc vnum aduerſus tam vaſtas belluas ſummum nauib⁹ præſidiū. Autor Munſterus.

Ferunt Raiam notum piſcem homini ſub aquis periclitanti auxilio eſſe, ne vel ſubmergatur, vel à marinis belluis diſcerpatur. Quibus addes quòd capparidum aqua de-

ſtillata pilos virides efficit.

Pulchras imagines, vaſa effigies & alia in hunc modum parua impenſa formabis. Cortices vlmi & populi cacumina decoque: & dum feruēt calcem puriſsimam immitte donec formam coagulati quaſi lactis acceperint omnia. Deinde marmor candidiſsimum tenuiſsimè tritum ac cribratum adde, & in quas volueris formas iniice, ac in vmbra deſicca. Hoc artificio licebit eximia ſimulacha, vaſa & alia, modico ſumptu & labore fingere ac concinnare. Ex Card. in lib. de rerum variet.

Lapides omnes qui in cancris, limacibus ac piſcibus gignũtur, prohibent lapidum in renibus generationem: aut ſi ibidem cõcreti fuerint illorum diſſolutionem moliuntur.

Sunt qui exiſtimauerint ſolidum truncum ligni Iuniperi accenſum, & proprio cinere contectum, ignem annum ſeruare. Facili experimento res fidei locum dabit.

Si compluribus linis vel filis (& maximè purputæ marinæ) collo viperæ iniectis, viperam ipſam præfoces: eáque fila ipſa poſtea cuiuſpiã collo obuincias & circũdes, mirificè iuuabis tõſillarum imò verò colli affectuũ omniũ curationẽ. Autor Claud. Gal. lib. 6. ſimpl. medi.

Lapis limacius in capite limacis quæ cortice nõ integitur repertus, quartanariis alligatus non parum prodeſſe exiſtimatur.

Troglodytis auicula inter cineritium & viridem colorem veſtita, tenui roſtro in parietibꝰ & maceriis victitans, ſi crebrò mãducetur, la-

pidesin corporibus genitos comminuit,ac per vrinam educit, & de cætero ne gignantur prohibet. Quin & huius integræ viuæque cũ alis combustæ cinis, tum per seipsum, tum cum modico pipere, & eucratomelite bibitum,idipſum efficere poteſt. Autor Paulus Aegineta.

Cauliculi Ebuli in aqua macerati pulices necant ſi ſolum cubiculi inſpergas: & foliorum decocto muſcæ interimũtur, ſi locus ab illis infeſtus irroretur, & facta aſpergine luſtretur.

Corona ex Smilace nicophoro nominata, capitis doloribus medetur. Ea folio eſt hederaceo. Autor Plin.lib.24.

Signum exorientis ſideris Arcturi eſt hirundinum abitus & diſ-

cessus: námque ab illo deprehensę intereunt. Autor idem Plin.

In Quercuum radicibus animal nascitur cui est δρύινος nomen: ad perniciem adeo potens vt solo supergressu pedes excoriet, & tota crura in tumorem attollat. Cui si mederi quis velit, illi pellis manuũ putrescit: quod memorabile est & summè admirandum. Porrò, si animal ipsum conatus fueris occidere cõtaminaberis: vt nihil odorari possis. Autor Paulus Aegineta li. 5. ἰατρικῆς πραγματείας.

Oderunt Capræ proprietate naturę hominis saliuam: nec quidquã edunt quod ab homine priùs degustatum fuerit: contraria lacertarum natura, quę hominis saliuam auidè lambunt.

Decoctum foliorum ac seminũ

Cannabis ſi ſuper terram effunda-tur, vermes ad illius ſupeficiẽ trahit & allicit. Res ſummè notanda & expetenda piſcatoribus. Idem ſemen Gallinas hyeme fœcundas reddit. Et folia in farinam verſa, inebriantem potum faciunt.

Flore Leucacanthi, ſeu Albiſpini rura vtuntur ad cogendum lac, & in caſeos ſpiſſandum. Itidem & ſemine Cardui, & aliis in noſtris rerũ agri Secretis fuſiùs perſequẽdis.

Ranæ iuncum, ranunculum ac ſtoebem diligũt. Et Leo deuorata ſimia febrẽ efficaciſsimè diſcutit. Sic vrſi formicas deuorãt, vbi mãdragoram guſtauerint. Autor Pli.

Mularũ vngulæ carbonibus impoſitæ & accenſæ mures ſuffitu abigunt & exterminant. Sic formicę alis veſpertilionis & corde vpupæ

fugantur: perinde atque ſerpentes veterum calceamentorum ſuffitu: & blattæ ac papiliones hircino iocinore incenſo. Quod non ſolùm de ſerpentibus qui in domibus oberrant & ſtabulantur intelliges, ſed etiam de iis qui hominum corpora ſubeũt: dum per æſtatem ore aperto in cãpeſtribus altè obdormiũt, ac vmbras & frigora captant.

Apud Cyrenenſes ſolitudo eſt inacceſſa, ſquallens & inculta quæ Baſiliſcum gignit, malum in terris ſingulare & expaueſcendum. Serpens hic ſemipedalem longitudinẽ vix æquat: caput alba mitrula vel potiùs coronula inſignirum gerẽs: qua ex re Græcis βασύλισκος, Latinis Regulus dictus eſt. Is non homini tantùm ac cæteris viuentibus exitialis eſt, ſed etiam ter-

ram ipſam contaminat, exurit ac vitiat vbicunque ferale domicilium ſortitur: herbas extinguens, arbores necans, ipſáſque etiam auras corrumpens. Adeo, vt per cœlum & ſolum in quo habitat peſtilenti ſpiritu afflatum, & venenato halitu infectum, nulla volucrum impune tranſuolet: imò ne aranea quidem telas texat. Sibilum huius etiam ſerpētes alij, venenoſi alioquin, ſummè perhorrēt & pertimeſcunt. Dum mouetur, media corporis parte ſerpit, media arduus eſt & excelſus. Hunc ex equo aliquando haſta ab equite occiſum, ferunt per eãdem haſtam ſubeunte vi veneni inexpugnabilis (vel potiùs diffuſo per auram peſtilenti af flatu) non equitem modò, ſed equum quoque peremptum ac per-

ditum. Res mira ſanè, & rerum vniuerſitati pernicioſa: niſi natura, vel potiùs Deus Opt. Max. remedium tantæ peſti ſua imměſa prouidentia, & ineffabili bonitate oppoſuiſſet, ac ita humano generi cõſultum voluiſſet. Duo itaque animalia, Muſtelam nimirum & gallinaceum Gallũ huic tam ſæuæ & horrendę peſti ceu amuletũ quoddam & alexipharmacum præſentiſsimum, dedit. Idcirco per imměſas illas Cyrenenſium ſolitudines ituri, Gallum ſecum habere ſolẽt, qui cãtu ſuo beſtiolam illam alioquin lethalem, longè latéque abigat. Autores ſunt Galenus, Plinius, Aelianus, & alij arçanorum naturę perſcrutatores & interpretes diligentiſsimi. Ex quorum ſemente & fertiliſsima ſegete, hæc

qualiacũque ſpicilegia huc tibi ex parte attulimus: nõ abſque diurno ac nocturno non dicam ſudore, ſed etiam algore. Tuum erit, Lector optime, quidquid id eſt, fortaſſe paruum tibi, ſed mihi magnò comparatum, boni conſulere: tantiſper dum ſecretormu agri Enchiridion, & alia quæ nobis hodie ſunt in manu, candidè, vt hactenus omnia, tibi exhibebimus ac impertiemur.

Finis quatuor libellorum ANT. MIZALDI Monluciani, de Arcanis & memorabilibus Naturæ.

LIBRI AB ANTON. MIZALDO Monluciano hactenus editi, & elaborati.

PHænomena, ſiue tēpeſtatum ſigna, Lutetiæ excudebat Reginaldus Calderius, 1546.

Idē liber Gallicè conuerſus, facto nomine, Le miroir du tēps &c. Lutetiæ apud eundem. 1547.

Meteorologia, ſiue rerum aëriarum Commentariolus &c. Lutetiæ apud eundem. 1547.

Idē Gallicè conuerſus, facto nomine, Le miroir de L'air &c. Lutetiæ apud eundem. 1548.

Cometographia, Crinitarū ſtellarū, quas mūdus nunquā impune vidit naturā & portenta libris duobus, philoſophicè æquè ac aſtronomicè expediēs. Lutetiæ excudebat Christianus VVechelus. 1549.

Æſculapij & Vraniæ medicũ ſimul & aſtronomicũ ex colloquio coniugium. Lugduni excudebat Ioan. Tornæſius, 1550.

Planetologia, reb⁹ aſtronomicis, medicis & philoſophicis eruditè referta. Lugduni apud Matthiam Bonhomme, 1551.

De mundi ſphæra, ſeu Coſmographia, libri tres, figuris & demõſtrationib⁹ illuſtrati. Lutetiæ apud Gulielmum Cauellat, 1552.

Zodiacus, ſiue duodecim Signorum cœli Hortulus, libris tribus cõcinnatus. Lutetiæ apud Carolam Guillard. 1553.

Planetę, ſiue Planetarũ Collegiũ, Lutetiæ ibidem, & anno eodem.

Aſteriſmi, ſiue ſtellatarũ cœli imaginum Officina: cum Encomio docti Aſtronomi: ibidẽ & anno eodẽ.

Catalogi ſeptem ſympathiæ & ntipathiæ ſeu concordiæ & diſ-ordiæ rerum aliquot mundi: Lu-etiæ apud Iacobum Keruer, 1554.
Ephemerides aëris perpetuę, ſeu opularis & ruſtica tempeſtatum Aſtrologia, vbique terrarum certa & vera. Lutetiæ apud eundē, 1554.
Idem liber Gallicè conuerſus fa-cto nomine, Les Ephemerides de l'air & Aſtrologie des ruſtiques. Lutetiæ apud eundem, anno eodē.
Memorabilium aliquot Naturæ Arcanorum Syluula, rerum varia-rum ſympathias & antipathias, Li-bellis duobus complectens, Lute-tiæ apud eundem 1555.
Harmonia celeſtium corporum & humanorum, Dialogis vndecim aſtronomicè & medicè elaborata ac demonſtrata, Lutetiæ apud

apud eundem, & anno eodem.

Ephemeris celeſtis anni labentis 1555. præter aliarum vulgarem calculum, etiam Solis & Planetarum cum inerrantibus ſtellis exortus, occaſus culminationes, aſpectus & radiationes accurata ſupputatione complectens. Lutetiæ apud eundem & anno eodem.

Ephemeris eadem Gallicè edita.

Vſus & explicatio Ephemeridis eiuſdem necnon aliarum quaruncũque. Lutetiæ, apud eundem & anno eodem.

L'explication vſage & practique des Ephemerides celeſtes: auecques tables a ce neceſſaires & vtiles. Lutetiæ apud eundem. 1556.

Ephemeris anni 1556. præter vulgarem aliarum calculum &c. Lutetiæ apud eundem 1556.

Eadẽ Ephemeris Gallicè edita.

Ephemeris anni 1557. præter vulgarem aliarum calculum &c. Lutetiæ apud eundem 1557.

Eadẽ Ephemeris Gallicè edita.

De arcanis naturæ Libelli quatuor. Lutetiæ apud eundem 1558.

Enchiridion ſecretorũ agri. Lutetiæ apud eundem 1558.

FINIS.

